



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Liber Vitæ & Lamentatorium. Vidi supra thronum librum scriptum intus &  
fortis signatum sigillis septem. Apoc. 5. v. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



## L I B E R

Vitæ, &amp; Lamentationum,

Scriptus Intus, & Foris, Signatus Sigillis septem.  
Thema.Vidi supra Thronum, librum scriptum intus  
& foris, signatum sigillis septem. *Apoc. s. v. 1.*

Pars I.

*Aperiuntur Sigilla.*

**I**nter omnes humani ingenii inventiones, primas habere videtur, literarum, scripturarum, & librorum inventio, per quam per parvula signa, & characteres, certo modo, & ordine dispositos, verba imò & animi sensa aperiuntur, occulta animi passiones & affectus exprimuntur, & variæ doctrinæ, secreta & mysteria panduntur, historiæ ab antiquis temporibus geitæ, quasi præsentibus proponuntur, & homines in omni scientiarum genere instruuntur. Quis autem primus literarum, & librorum fuerit inventor, certò non constat, aliqui enim literarum auctorem Mercurium constituunt, alii meliori fundamento, Moysen Prophetam, quem Martyr Justinus scriptorum vocat antiquissimum.

*Mira li-  
terarum  
inventio*

*Primus  
inventor  
Moyses.*

*Ma, ulus  
Dier. Ca-  
nic col-  
loq. 23.  
f. 767.*

Sed enim si rem profundius consideremus nec Moysen, nec Mercurium, aut quemvis alium scriptorum primum, & antiquissimum fuisse deprehendemus, sed ipsum Deum, Patrem scilicet æternum, qui per Psaltem Regium testatur: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribenti: hac penna ab æterno scripsit, & scribit, nec tamen nisi unicum expressit Verbum, in quo tamen dixit, & scripsit omnia, scilicet Verbum suum æternum, de quo Evangelista: In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et quoniam Verbi hujus æterni generatio, est actio ad intra, Verbum hoc æternum à fœcunda Patris memoria productum ab homine mortali videri aut legi non potuit. Quando autem venit plenitudo*

*Imò Patre  
miserabile*

*Psal. 44.  
v. 2.*

*Ioan. 1.  
v. 1.*

tem-

Ioan. c. 8. v. 6. temporis, Pater aeternus digito scribebat hoc Verbum in terra, cum nempe Spiritus sancti (qui digitus Dei vocatur) operâ, Dei Filius in terra virginali conceptus, & Verbum Caro factum est,

Christus mirus Liber.

ita tamen mirabiliter contextu, ut oculis humanis non apparet forma Verbi, sed tantum forma hominis. Mirabilis planè Liber, qui unicum quidem Verbum, sed in illo omnes continebat scientiarum thesauros; Liber tam mirabilis, ut nec angelici spiritus ejus ( per unionem hypostaticam) compositionem capere potuerint. Mirus Liber, in quo, quia absconditum Verbum divinum, vili humanitatis cortice tegebatur, à Judæis contemnebatur. Hic itaque liber, erat Christus JESUS, verus Deus, & homo,

Hug. Cardin. in Ep. ad Hebr. c. 10. v. 7.

Qui est Liber Vita, & Veritatis, uti Hugo Cardinalis testatur Hunc ergo Librum supra Thronum vidit S. Joannes, scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Quoniam Christus est quasi liber positus in pulpito Crucis, teste Doctore Seraphico, ideò hunc librum intus & foris scriptum auditoribus proponere, ejus sigilla septem aperire, & imprimis sub prælopositum, & ligatum exponere, Deo favente, constitui.

S. Bonav. Camp. Theol. V. rit. l. 4. c. 20.

Ut fructum & eruditionem quis è libro haurire possit, clausuras, & signacula referare ne-

P. Franc. Iosephi Op. IV.

cesse est, præterquã, quòd ille, qui legere intendit, characteres, & literas noverit, oportet. Testatur Isaias: Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas; Legestum; & respondebit; non possum signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicetque ei: lege, & respondebit: Nescio literas. Li-

ber in publico Crucis pulpito expositus, est Christus, Liber Vita, & Veritatis, divinis doctrinis & eruditionibus plenus; Si modò populum gentilem ad hunc legendum librum hortemur, lege istum, respondebit: Nescio literas, non enim instructus sum in sacris literis; Quodsi populo Judaico hunc librum perlegendum proponamus, excusabit se & ipse: Non possum, signatus est enim, & quidem sigillis septem, magisque inde scandalizatus remanebit Judæus, quàm instructus, ne ergo Prædicemus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, his literas, illis autem aperire sigilla libri necessesse est.

Aperienda sigilla.

ut legi possit.

1. Corin. I. v. 23.

S. Bonav. Incend. amoris. c. 3.

quod agnus passus est, septem signacula

M m m n a c u

Septem  
Sigilla e-  
numeran-  
tur.

macula libri aperta sunt; Quibus scilicet apertis in libro hoc vita & veritatis (Christo Crucifixo) miram rerum omnium scientiam haurire licebit, nam eodem Seraphico Doctore teste: Liber iste, est universalis rerum notitia, in quo septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per Passionis Christi efficaciam reserata, scilicet Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, Paradysus desiderabilis, Infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

Obscurè, & in ænigmate adhuc tibi loqui videtur Seraphicus, sed ecce singula aperire, & per ordinem clarè tibi exponere paratus est.

III.

Primum  
Sigillum,  
Deus mi-  
rabilis.

Primum itaque Sigillum & Secretum ante Christi passionem humano generi clausum, est Deus mirabilis: Nec enim mundus agnoscebat, quàm Deus esset mirabilis in sua sapientia, quàm mirabilis in iustitia, quàm mirabilis in misericordia. Primum enim (ait Seraphicus) Deus admirabilis manifestatus est nobis per Crucem, esse summæ & inscrutabilis sapientiæ; summæ, & irreprehensibilis iustitiæ summæ, & inenarrabilis misericordiæ.

In Sapi-  
entia.  
S. Bonav.  
ibid.

Et quidè ad sapientiam mirabilem, quod attinet, summam suam sapientiam decepit diabolus. Confidebat in astutia sua antiquus serpens, facile se capiendum aut inescandum fastuose pra-

mens. An extrahere poteris Leviathan hamo? quærit Propheta Job. 40. v. 20. patiens. Ac si diceret, pisces quidem hamo escam contesto, capiuntur, & extrahuntur, serpens autem antiquus, & Leviathan omne genus humanum devorans occultiori indiget astutiâ Sed hamo captus est, (subnectit glossa ordinari.) quia in redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. In quo hamo (docet Hugo Cardinalis) Crux, est quasi virga, quasi linea, Divinitas ferrum, Caro Christi, vermis. Dum despectu ergo vermiculum, Christi scilicet Carnem deglutire mors, & diabolus præsumebant, inescati ipsi, & capti sunt, miro divinae Sapientiæ stratagemate, quo jam & morti & infernali Leviathan Dei Filius per Oseam comminabatur: Ero mors tua, mors; Morsus tuus ero, inferne. Nempe (ut pulchrè Rupertus Abbas exponit) mordebis me, inferne, & ut hamum devorabis, sed postea hamo divinitatis meæ dirumpam ventrem tuum, & exibo. Serpentis tantum astutia, & dolosa sapientia mundo nota, Dei autem mirabilis Sapientia erat abscondita, in Christi autem passione, Dei Sapientia summa revelata est, à qua demonum sapientia devorata est. Secundo per Christi passionem

Glossa  
Ord. hic.  
Damon  
Levia: hæ

Hugo in  
Ioan. c. 12  
v. 31.

Hamus di-  
vinitatis,  
vermis hu-  
manitas.

Oseæ c.  
13. v. 14.

Rupertus  
Abbas hic

Mirabilis  
in iusti-  
tia.

nem, & Crucem manifestatus est Deus admirabilis in iustitia, quod nempe sit summa & irreprehensibilis iustitiae ait Bonaventura: Suum cuique tribuens, & exactam exigens satisfactionem. Magna humanum genus contraxerat debita erga Deum creatorem suum: quae debita ratione boni offensi infiniti, infinitam habebant gravitatem, uti inferius ex apertione sigilli septimi clarius patebit: quare debitis his infinite magnis, infiniti pretii solutione obviari necesse erat, & debebat quidem (liquidem exacte iustitiae subtilitates & Juris divini apices observandi essent) non ab extraneo, sed à propinquo & necessario debitoris (humani generis) fieri satisfactio.

S. Bonav.  
in Collat.  
Collat. 1.  
Homo pre-  
tium non  
habebat.

In debitis enim, ex injuria illata, contractis, non à quovis, sed ab eo, qui injuriam intulit, vel ejus saltem propinquo, satisfactionem prætendit Creditor; Vide anima, quam rigida erat & accurata in sua præensione divina iustitia, cui tamen satisfaciendi medium non inveniebatur. Nam Homo propinquus erat, sed pretium non habebat, solvendo scilicet debito, à Patre Protoplasto, contracto, & à posteris semper multiplicato, uti notat S. Bonaventura: Deus pretium habebat, sed propinquum non erat; Non debebat nisi ho-

mo; non poterat, nisi Deus. Quid ergo remedii divina adinventum Sapiencia, ut punctualissimae iustitiae satisfaceret; Factus est ergo (inquit Seraphicus) Ista. c. 12. Deus homo propinquus, & factus est noster IESVS, v. 12. & homo mundo obrizo, ut dicit Isaias: Sacculum pecuniae tulit secum, cum ut quia Deus homo in carne apparuit, & funderet Verbum in carne, quasi pecuniam in sacco abscondit, & hominem reum redemit. Ut autem redimere, & pretium effundere Dei Filius posset: Concidisti saccum meum. Magnus planè iustitiae, & inauditus rigor, quae proprio filio suo non peperit qui debitum solvendum in se suscepit, & pro nobis fideiussit; Quare scidit sacratissime innumeris vulneribus carnis saccum, ut copiosissime efflueret sanguis pretiosissimus, (ob unionem cum Verbo) infinito valoris, sicque infinito debito satisfactum pretio. Verè summa, irreprehensibilis tamen divina iustitia, & admirabilis, per Christi passionem mundo revelata.

Isai. 29.  
v. 12.  
Rom 8.  
v. 32.

Sed non minus, in huius sigilli apertura, mundo illuxit, summa, & admirabilis Dei misericordia, dum Patre aeternus summam suam misericordiam pro nobis tradidit filium suum, ut verbis Seraphici Doctoris utar. Sic planè Deus dilexit mundum, ut Filium suum

Deus mi-  
rabilis in  
misericor-  
dia.  
S. Bonav.  
Incend a-  
moris cit.



unigenitum daret, & quidem pro servo daret, ut major in servum, quam Filium misericordiam ferri videretur, nam, ut canit sancta Mater Ecclesia, ut servum redimeres Filium tradidisti. Hæc ergo primi sigilli est referatio, Deus mirabilis in Sapientia, Justitia & Misericordia.

IV.

Secundo Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per Crucem, ait Seraphicus cit. Et est hæc secundi sigilli revelatio. Triplicem autem differentiam in spiritibus intelligibilibus notat S. Bonaventura, nempe Angelorum, Animæ hominis rationalis, & demonum. Aparuit itaque spiritus intelligibilis, quanta sit benignitatis, quantum ad Angelos, ... Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum. Licet enim Angeli pacis amare flerent & condolerent suo Regi gloriæ, tam dura patienti, tamen eum è manibus tortorum eripere non sustinuerunt, plus ex innata erga genus humanum benignitate, nobis perituris compatiens, quam Dei Filio patienti, qui oblatum est, quoniam ipse voluit.

2. Sigillū  
Spiritus  
intelligi-  
bilis.

Quoad  
Angelos.

Quanta  
benigni-  
tatis.

Quoad  
animam  
rationē.

Hinc etiam mundo innotuit, quanta sit dignitatis Spiritus intelligibilis, quantum ad homines, cum propter nos homines, & propter nostram salutem Dei Filius de cælo non tantum descendit, humanam assumens

naturam, sed etiam manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum voluerit, ne pretiosa hæc margarita, SS. Trinitatis imagine insignita perderetur, dignam eam aestimans pro qua Patri suo per 33. annos in duris laboribus serviens, eam proprio etiam sanguine redimeret.

Clarè quoque manifestatus est per crucem, & passionem Filii Dei, spiritus intelligibilis, quanta sit crudelitatis, quantum & demones: nam non contenti, quod ad mala omnia, & ruinam extremam humanum genus adduxerint, innocentiam originalis dono, immortalitate, & ipsa cœlesti patria privatum, in ipsum Dei Filium crudelitatem suam exercere non erubuerunt, siquidem (ut notat Seraphicus cit.) Dei Filius crucifixus est... ad crudelem suggestionem demonum.

Tertio mundus sensibilis, nobis manifestatus est, per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram & summam, non cognovit; regnat sterilitas, quoniam IESUM Christum tanquam instructuosum despexit; & regnat impietas, quoniam Deum, & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnavit, & interfecit.

Eousque mundus politicis colo-

Quanta  
dignitatis

Quoad  
demones

Quanta  
crudelitas

V.

3. Mundi  
perver-  
tas

S. Ronan  
cit.

Semper  
huc, que  
prætextu  
moverat

coloribus, & prætextib' malitiã suam poterat honestare, nec deerant persequendis justis honesti tituli; In passione autem & morte Christi detracta pelle vulpina, & larva mundo maligno fuit manifestatus, in hoc sigillo mundus, in maligno positus, dum per librum vitæ, veritatis, innocentie & justitie (Christum) plenè convictus, ulteriorem se excusandi non invenit facultatem, eum occidens, in quo non solum non inventus, sed nec inveniri reatus potuit.

si necesse fuit, hæc Christum pati propter peccati (non quidem proprii sed alieni) deletionem, multò fortius oportet hæc pati damnatos propter istam meritorum suorum retributionem. Manifestè etiam hinc colligi potest, tremenda, & horrenda, futura damnatorum pœna, & ignominia, cum Christus, illi avertendæ, tam magnos & excessivos tulerit cruciatus, ut omnes transcentes ad sistendum compellet: attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Infernus  
horribilis

4. Sigillũ  
Parady-  
sus a dese-  
rabilis.  
Hebr. 12.  
v. 2.

Secretum in quarto sigillo revelatum per Christi passionem, est *Paradysus desiderabilis*, quem inde dignum æstimare, discimus, quod ipse Rex gloriæ pro restituenda nobis aternæ beatitudinis possessione, formã servi accipiens tam dira pati non recusavit, nec triginta trium annorum labores asperrimos, æstimavit condignos ad futuram gloriam, hinc & ipse lubens proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, tantam sperandæ beatitudinis nobis magnitudinem contestans, ut non sint condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Sexto manifestata est nobis per *6. Sigillũ.* Crucem, virtus laudabilis, quam scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contumelijs relucebat. Et verè fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum spoliavit, celum aperuit, & perditam restauravit. Hæc Seraphicus verè Seraphicè, cui addidisse aliquid, decerpisse est.

Virtus  
laudabi-  
lis.

Rom. 8.  
v. 18.

5. Sigillũ

S. Bonav.  
git.

Quinto Infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem, locus utriusque plenus omni egestate, & penuriã, vilitate & ignominia & omni calamitate & miseria, unde

Denique manifestatus est nobis per crucem reatus culpabilis, quantum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Magna utique & periculosa plaga est, quæ tam crudeli, & inimici indigebat sectione, ut Dei Filius totum corpus suum, vel saccum discindi,

VI.

7. Sigillũ

Reatus  
culpabilis

M m m 3

cindi, & effundi pretiosissimum suum sanguinem pro pretio pateretur. Magnus utique, & infinitus reatus, qui tale infinitum requirebat pretium.

Pone in unam bilancis partem omnia sanctorum Angelorum, Martyrum, & Confessorum merita, & bonorum operum thesauros: in alteram, unicum Dominici Sanguinis profusam guttulam, & ecce hæc infinito, & incomparabili modo, omnibus Sanctorum meritis præponderabit. Sed & unicum pone peccatum mortale, cui in bilance omnia Sanctorum, & Angelorum merita opponas, tamen cuncta hæc purarum creaturarum quamvis eximia merita, nec ulli præponderare mortali peccato poterunt, sed pretium & pondus infiniti meriti & valoris requirit. Nam peccatum habet quandam infinitatem ex infinitate divine majestatis, tanto enim offensa est gravior quanto est major ille, in quem delinquitur. Unde pretium infiniti valoris, reatus peccati pro sui satisfactione requirebat, Sanguinem Filii Dei qui infinitæ est dignitatis. Sicut enim peccatum omnibus præponderat Sanctorum meritis, sic solo præponderatur Filii Dei sanguine infinitè pretiosi.

Eadem ratione gravitas pec-

cati apparet ex tam grandi piaculo, licet enim in testamento veteri tot millia Sacrificia pro peccatis oblata, & vitulorum, boum, & ovium infinitus numerus fuerit mactatus, cum omni tamen hæc sanguinis effusione non potuit fieri peccatorum remissio, nisi ipsius Agni Dei Sanguis pretiosissimus accederet.

Nec minus gravitas infirmitatis nostræ apparet, quæ à Dei Filio (qui infirmitates nostras portavit) suscepta, tam crudeles sectiones, sudorem sanguineum, & emplastra mordacissima exigeret.

En Librum Vitæ, & Lamentationum mirabilem, ex cujus septem apertis sigillis tam alta, & compendiosa doctrina, & universalis rerum omnium notitia hauritur, mundo prius abscondita, & velata. Ut ergo Librum Vitæ, Christum Crucifixum, cum fructu legere & intelligere valeas, hæc signacula prius aperienda expende, alias apparebit tibi, sicut verba libri signati, qui cum datus fuerit scienti literas ad legendum, respondebit: non possum, signatus est enim. Reclude ergo prius secreta hæc & mira Libri Vitæ sigilla, & pone ea sicut signaculum super cor tuum, cognitio enim bene, & penetratio hisce signaculis, ac cordi nostro

Requiri  
in unum  
pretium.

§ Thom  
3 q. 1. a.  
2.

Infinitam  
expiationem

Cant. 8.

v. 6.



stro impressis, ad inspiciendos  
protinus, & cognoscendos mi-  
rabiles libri vitæ characteres  
& hauriendos divinæ sapien-  
tiæ, & scientiæ thesauros in-  
troducet nos divina bonitas,  
ut exactâ Dei justitiâ exterriti,  
divinæque misericordiâ con-  
fortati, agnoscamus animæ no-  
stræ rationalis dignitatem,  
mundi fallaciam & vanitatem,  
Paradyfi desiderabilem glori-

am, inferni tremendam pœ-  
nam, virtutis decorem, ac cul-  
pæ gravitatem, & ita vitæ no-  
stræ instituamus rationem, ut  
sacratissimæ passionis salu-  
brem in nobis experiri effe-  
ctum, & ad ejus (qui aperit  
librum, & solvit septem sig-  
nacula ejus) societatem & glo-  
riam pervenire feliciter va-  
leamus, Amen.

\* \*  
\* \*



LIBER



## L I B E R

Vitæ , &amp; Lamentationum ,

*Scriptus Intus , & Foris , signatus Sigillis septem.*

Thema.

Vidi supra Thronum librum scriptum in-  
tus & foris , signatum sigillis septem. *Apoc.*  
*5. v. 1.*

Pars II.

*Ponitur Liber Vita sub pralo, & Ligatur.*

I.

*Varij lib-  
rorum ti-  
tuli.*

**T**itulorum liber sortiri sui statum deplorat lugubribus Confirmi  
solet conformiter versibus, eos, *Threnos*, seu *Lamentationes* vocare, ter mate-  
ria.  
materia, quæ in eo tractatur; Sic Ovidius versibus in amore, licet ria.  
minus pudicè, ludens, eos *de Amore* inscripsit, quæis tamen nullam nisi exilii mercedem meruit, quare demum exul, elegias, quas *Tristium* intulavit, scripsit, tristem exilii sui statum in iis deplorans magis, quàm canens. Sic & Jeremias Propheta, dum in fine libri sui lamentabilem urbis, & populi Christus  
Liber Vi-  
ta,  
Pari ratione Christus Crucifixus, tanquam liber in pul-  
pito Crucis nobis legendus propositus, pro varietate materia, ex diversis respectibus, & considerationibus, etiam diversis intitulatur nominibus. Veritatis,  
*Liber enim Vitæ* nominatur, eò quòd vitam nobis deperditam, moriendo restituit; *Liber Veritatis*, eò quòd collapsam in mundo

mun-  
do veritatem, & erexit, & annuntiavit. Liber etiam de Amore commodè vocari potest, eò quòd inter omnes virtutes maximè prævaluerit Amor, De me solus Amor, potuit portare triumphum. De quo & dilectus testatur discipulus: Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, & quidem per Excessum Amoris. Quoniam autem propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis: Tristis secutus est, & tragicus Passionis suæ successus, qui merito tractatus, & Liber Tristium inscribitur, quoniam in eo non aliud scriptum reperitur, quàm Lamentationes, & carmen, & vix. Tristis est anima mea, usque ad mortem. Quoniam igitur sigilla signati libri hujus, & Tristium, jam præcedenti discursu aperuimus, ad ipsum porro librum applicando mentis nostræ oculos, miros inusitados, & lamentabiles perferemur characteres, ipsum librum modò prælo subiectum, & ligatum, inspecturi.

pitulum, & quis ipse liber, de quo in persona Christi David loquitur: In capite Libri, scriptum est de me. Ad litteram, Augustinus per hoc caput, seu Capitulum Libri, primum Psalterii Davidici psalmum intelligit, de Christo conscriptum, in quo maximè fervens ad legem Dei voluntas commendatur: in lege Domini voluntas ejus. Doctor Angelicus cum Hugone Cardinale per Librum intelligit Christum ipsum. Quæ itaque in capite libri scriptum est, id est, sum forma, exemplum justitiæ hominibus. Caput quidem Libri, esse Patrem cœlestem, asserit Hugo: Itaque in capite Libri, id est, apud Deum Patrem, qui est Caput meum, dicit Christus, scriptum est, ut facerem voluntatem tuam. Sed quæ voluntas in Capite, & Patris æterni Ordinatione (ut cum Angelico loquar) scripta est? Hæc: ut tot offensa, & peccata, quibus à mortalibus fuerat offensus, digna expiarentur victimâ, & sacrificio.

Liber Christi  
S. Thom.  
ad Hebr.  
c. 10.  
Fugo h' e  
& in pl.  
39.  
Caput libri  
est Pa-  
ter æternus  
Liber  
Le ir. c.  
16.

Jo. c. 13.  
v. 1.  
Lamentationem in passione.

11. Ut ordinatè procedamus, librum statim à Capite incipere proposui, & à primo Capite sumere principium, de quo Psal. 39. mentionem facit; In Capite libri, veluti S. Hieronymus legit, In Capitulo Libri; scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Quæstio nō levis oritur, quodnam hoc Caput vel Caput, & Franc. Josephi Op. IV.

Præscripserat quidem ipse Deus Moyse modum Sacrificii peculiaris, germano suo Fratri, Aaron Pontifici intimandum; videlicet Duos hircos stare faceret coram Domino, ... Cujus exierit fors Domino; offerret illum pro peccato; cuius autem in Caprum emissarium; statuet eum vivum coram Domino

Duo hirci  
st. nas  
coram Do-  
mino.  
Le ir. c.  
16.

N n n mino

mino, ut fundat preces super eo & emittat eum in solitudinem.

II.

Holocausta non voluit Deus

Psal. 39.  
v. 7.

Et quare?

Hebr. 10.  
v. 4.

Hebr. 10.  
v. 1.

Sacrificia vetera tantum figurata,

Sed mirum, quod hoc loco expressè sacrificium pro peccato prætendat, & præcipiat Deus, à summo Sacerdote magna solemnitate peragendum, cum tamen contrarium attestari regius Propheta videatur, nolle scilicet immolari sibi sacrificiū propitiatorium, & holocausta. *Sacrificium, & oblationem noluit; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti; tunc dixi: ecce venio.* Cur autem holocausta propitiatoria Deus per Davidem recusat? causam dat solidissimam Apostolus. *Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: Si ergo taurorum & hircorum sanguine non auferuntur peccata, cur ergo Deus in lege holocausta, & specialissimè, hircum pro peccato offerri mandavit, siquidem immolari hircum pro peccato præcepit Deus, cur efficaciam auferendi peccata non habuit? Utriusque rationem iterum reddit Apostolus: *umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Quia ergo sacrificia legis veteris tantum umbra, & figura fuerunt sacrificii veri expiatorii, ideò vim expiandi non habuerunt, umbra enim & figura causæ, non habet causalitatem & vim producendi effectum; & tamen eo ipso, quod*

umbra & figura veri sacrificii propiatorii fuerunt sacrificia veteris testamenti, Deus voluit ea & mandavit tanquam umbram propitiationis, & futurorum bonorum; noluit autem ea, tanquam ipsam imaginem rerum, erat enim sacrificium & oblatio umbratica tantum; *aures autem perfecisti mihi, id est, voluntatem obediendi tibi,* glossatur moralis. Verba hæc sunt Unigeniti Dei, qui factus obediens usque ad mortem, se ipsum hostiam pro peccatis erat oblaturus, uti probè notat Apostolus: *Idèò ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluit; Corpus autem præstasti mihi.* Sequitur Apostolus lectionem septuaginta interpretum, qui (pro aures perfecisti) legunt, *Corpus præstasti mihi.* Nec duæ hæc lectiones sibi invicem contrariantur, sed potiùs se invicem explicant. Vulgaris enim lectio per aures obedientiam Filii Dei, septuaginta autem obedientiæ tam objectum, quam subjectum attingunt, *Corpus autem præstasti mihi.* Hoc est (uti psal. 39. Hugo Cardinalis notat) *ideo Corpus præstasti, quia obedientia fuit in corporis oblatione, & aptando corpus suum Cruci.* Holocaustum, & pro peccato non postulasti, vel (ut Apostoli verbis utar) *Holocausta pro peccato non tibi placuerunt, duo scilicet hirci, emissarius & pro peccato, figurali-*  
ter

Glossa ]  
moralis.

Figurati  
Christus.

er oblatis, tunc dixi: Ecce venio, ego Hircus pro peccato figuratus: Nam in capite libri huius psal-  
morum ( addit Interlinearis ) scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, ut scilicet, aprando mihi Corpus, in ara Crucis fierem Hircus pro peccatis populorum.

catis sistere se voluit aeterno Patri, Filius, & immaculatus Agnus Dei, tanquam Hircus pro peccato; aures perfecisti mihi: Corpus aptasti mihi: tunc dixi: Ecce venio; Quoniam in capite libri (apud Deum Patrem) scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, & fierem Hircus pro peccato. Deus meus volui.

IV. Observandum autem, quod in veteri testamento, tanquam umbra futurorum, non unum tantum, sed duos hircos sistere coram Domino in ostio tabernaculi iussus est Pontifex: Quia (ait Ordinaria) Christus, Deus, & homo: Secundum humanitatem passus, secundum divinitatem impassibilis. Humanitas fuit hircus pro peccato; Divinitas autem Hircus Emissarius, in solitudinem dimissus, id est, in sinum Patris, quo nullus accedit nisi ipse, & Spiritus sanctus, ut eadem glossa commentatur. Et quidem in caelum Divinitas tempore passionis abisse dicitur, non locum mutans, sed quodammodo virtutem cohibens, ut possent impii consummare passionem. Cornelius de Lapide, docet, quod etiam Hircus pro peccato significat Christum immolatum; Emissarius significat genus humanum, quod per Christi mortem, a morte manumissum & liberatum est.

Hircus pro peccato humanitas.

Glossa Ordin.

Emissarius divinitas.

Emissarius est genus humanum.

Quoniam igitur noluit Deus holocaustomata & oblationes umbraticas animalium hircorum, ut iis placaretur, pro vero, & figurato Hirco pro peccatis sistere se voluit aeterno Patri, Filius, & immaculatus Agnus Dei, tanquam Hircus pro peccato; aures perfecisti mihi: Corpus aptasti mihi: tunc dixi: Ecce venio; Quoniam in capite libri (apud Deum Patrem) scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, & fierem Hircus pro peccato. Deus meus volui.

Voluit, & consensit immolari pro peccatis nostris Dei Filius, non modò tantum in tempore, dum corpus jam sibi erat aptatum, sed ante omnia tempora, Ipse est enim Agnus, qui occisus est ab origine mundi, quia ab aeterno erat scriptum in capite libri apud Deum Patrem: Et quia ab aeterno hanc Patris voluntatem implere non tantum paratus, sed avidissimus erat redimendi humani generis: Ecce ego, mitte me. Volui, ab origine mundi, occisus in figuris, in sacrificio Abel, in agnis, ovibus, tauris, & maximè in Hirco pro peccato. Deus meus volui: Sed ecce, dum ipsum sacrificium figuratum actualiter offerri, & Hircus pro peccato, aeterno Patri, in ostio tabernaculi Legis novae sisti debuit, & ad macellum duci, cepit pavere, & mastrus esse. Et fateri non erubescit: Tristis est anima mea usque ad mortem.

V.

Ab aeterno Dei Filius voluit.

Apoc. 13. v. 8.

Marci. 14. v. 33.

Math. 26. v. 18.

In Christo triplex voluntas.

Non quidem, quod voluntas obediendi, patiendi, & se ipsum sacrificandi intepuerit, quæ

Nnn 2

quæ sicut ab æterno clamavit: *Deus meus volui*, ita & nunc clamare non cessat: Volo. Notandum tamen est, quod multiplex in Christo fuit voluntas, increata scilicet, & creata: Creata rursus, alia rationis, alia sensualitatis, seu voluntas carnis. Voluntas increata, quæ ab æterno clamabat, Deus meus volui, non tantum hinc non contradicebat passioni, sed imperabat. & ipsa sententiam dictabat, ut notat Seraphicus in vita Christi. Voluntas verò creata rationalis obediebat, & consentiebat; Voluntas autem sensualitatis, & carnis, nullo modo volebat pati. Hinc ipse testatur Dei Filius ex propria scilicet experientia; Spiritus quidem promptus est, Caro autem infirma, Voluntas divina petebat Justitiam, creata rationalis obedientiam, sensualis à passione liberationem. In hac acri voluntatum concertatione procidens in faciem suam Dei Filius, & humiliter supplicatione ad Patrem recurrens, cum clamore valido, & lacrimis petebat: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Et hæc petitio, ait S. Bonaventura, fuit tam sensualitatis, quam rationis: Sed sensualitatis tanquam affectantis, rationis autem, tanquam proponens: Et sic ratio pro sensualitate advocavit.

**VI.** Egit in hæc parte ratio instar Advocati, à simplici rustico ad

advocandum, & supplicandum requisiti, in causa non undequaque justa; Hoc casu prudens, & fidelis Advocatus, causæ periculum rustico exponens, ad desistendum, & se quietandum hortatur, cum nihil sibi videatur evicturus; Si tamen acquiescere nolit rusticus, Advocatus pro viribus quidem clientis causam promovet, & Judici commendat, protestans etiam Judici, se ad hanc causam suscipiendam instanter rogatum, eam meliori modo commendare, nolle verò de cætero officii ejus æquitati præjudicare, si verò compati, & condescendere valeat, pro consolando pauperculo, & simplici cliente, se fore obstrictum.

Sic etiam ratio, non in causæ sensu alitatis æquitate confidens, sed fragilitati ejus & infirmitati compatiens, & ab infirma carne importunè interpellata, apud cœlestem Patrem advocavit: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Probè autem agnoscens hanc petitionem minus justitiæ, & voluntati esse consentaneam, statim subjecit, protestando quasi: *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Novi enim, quod in capite Libri, scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Hoc est (uti ordinaria glossatur.) Sic est præsinitum apud Deum Patrem, qui est Caput mei, qui sum Liber, id est,

ferma

S. Bonav.  
Comp  
Theol.  
Ver. l. 4.  
c. 17.

Divina.

Idem in  
vita Christi.  
c. 75.

Rationalis  
& sensualis.

Marci 14

S. Bonav.  
Comp.  
Th. verit.  
c. 17.

Ratio ad  
vocata  
sensualis  
causæ.

Similitudo de ad  
vocato.

Glossa  
Ordin. in  
psal. 39.

forma Iustitiæ hominibus.

In ista ergo Voluntatum concertatione initium sumpsit Liber Tristium, & Lamentationum, & est hoc primum ejus lugubre Caput, & triste capitulum in Monte oliveti Prælo subjectum. Dum factus Dei Filius in agonia, prolixius orabat, colluctante spiritu cum carne, & hoc ad nostram non tam consolationem, quàm instructionem, nempe (teste Seraphico) ut sciamus non esse peccatum, aliquid velle ex sensualitate, quod est contrariam divinæ voluntati. Secundò, ut Martyres Christi non desperent, si mortem horreant, cum eam etiam Filius Dei horruerit, Tertio, ut discamus desiderè petere, scilicet supponendo Voluntatem Voluntati divinæ sicut in capite libri scripta est.

amaritudines tenerrimum Cor Salvatoris occupârunt, quæ tam copiosum ipsi, & sanguineum expresserunt sudorem!

Ut taceam diversas (quas contemplativi offerunt) hujus sanguinei sudoris rationes, unica, præ cæteris omnibus mihi sufficiat, nempe gravitas ipsius peccati; dum iniquitates omnium nostrum humeris Salvatoris, tanquam hirco pro peccato, impositæ, sicut gravissimum prælum, ita Librum Vitæ aggravârunt, & depresserunt, ut prostrato in terram Filio Dei etiam sanguineum expresserint sudorem. Hoc est ergo prælum illud gravissimum, quod Libro Vitæ sanguineas impressit defluentis sudoris rubricas, nulli non, nisi lacrimantibus oculis legendas.

Peccatorum gravitas expressit sanguine.

VII. Plenissimè se quidem Dei Filius Paternæ subjecerat voluntati, prostratus in terram, tanquam vilissimus terræ vermiculus, & Hircus pro peccato mactandus. Nec dubium, quòd non tantum Angelus, ad eum confortandum missus, sed omnes cœlestes spiritus Regem suam gloriæ cum summa compassione in terram prostratum, contristatum, pavidum & mactatum, & trementem ad divinæ Iustitiæ severissimum rigorem, spectaverint, maximè dum factus est sudor os, tanquam gutta sanguinis decurrentis in terram. Eheu quantæ angustia, quantæ

Ex istis Libri Vitæ, rubricarum primitiis, & sanguineo sudore maximè apertum fuit septimum Sigillum, scilicet reatus culpabilis, quàm culpabilis & gravis sit peccati reatus, & infinitus suo modo. Est enim culpa mortalis infinita in offensione, quæ nullis holocaustorum sanguine, & sacrificiis, sed solo infiniti pretii sanguine Filii Dei potuit expiari. Apparet secundò infinita in turpitudine, Turpitudinem, in se mundi peccatis, Hircus pro peccato, & pro nobis mactandi.

Culpam in se

In Offensione

Turpitudinem

Nun 3

ledi.

Christus contristatus

S. Bonav. Comp. cit.

Ad nostram doct. trinitatem.

Libri Vitæ sub Prælo positus.

Luc. 22.

ledictum factus, ita vilis, de-  
spectus, & abjectus, foetidus &  
sordibus sibi innotuit, ut instar  
filii prodigi, animalium curæ  
destinati, ante faciem Patris,  
& cœlestis curiæ comparere e-  
rubesceret, alienis licet pecca-  
torum sordibus onustus, & sor-  
didatus. Tertiò, apparuit, cul-

*Gravita-  
eo.* pa infiniti ponderis in gravitate,  
nam humeris unigeniti Dei Fi-  
lii imposita, ita faciem, cor-  
pùsque totum depressit, & ad  
Angelorum pedes prostravit ac  
oppressit, ut sanguineum e-  
tiam exprimeret, inaudito mi-  
raculo, sudorem. O Præli  
pondus! O Torcularis vehe-  
mentiam! O peccati gravita-  
tem! Quæ sudorem sanguine-  
um Filio Dei expressit.

VIII. Nunquid causam habeo gra-  
vidam, & ponderosam, Dei  
Filium sudore sanguineo per-  
fufum cum Seraphico meo allo-  
quendi: *Quare rubrum est indu-  
mentum tuum, & vestimenta tua  
sicut calcantium in torculari?* Tor-

*Torcular  
calcavit,* *calcavi solus,* respondet dul-  
cissimus Dei Filius, & de gen-  
tibus, non est vir mecum. Tor-  
cular calcavit, sed non calca-  
vit tantum, sed magis ipse cal-  
catus est. In iudicio, quando  
dies ultionis erit in corde ejus,  
calcabit ipse peccatores, sed in  
passione ipse calcatus & con-  
culcatus, & tanquam prælo aut  
torculari pressus fuit, & qui-

dem solus, nam, ut Interlinearis  
notat, *Omnes apostoli, relicto eo  
fugerunt.* Fugiunt Apostoli,  
fugiunt discipuli, fugiunt Chri-  
stiani tanquam Hirci Emissarii  
in solitudinem festinantes, re-  
licto solo Filio Dei inter ho-  
stium inimicos, tanquam Hirco  
pro peccato.

Hirco emissario omnia pec-  
cata, & iniquitates, impreca-  
batur super caput ejus Ponti-  
fex, & sic dimittebat. Nos,  
nos peccatores Hirci sumus e-  
missarii, divinæ justitiæ impre-  
cationibus, & priorum pec-  
catorum foeditate, & gravitate  
onerati, & tamen in mundi so-  
litudine petulanter oberrantes,  
& saltantes, tanta animi levi-  
tate, & perulantiâ oberramus,  
tanquam nullum sentiremus  
peccatorum pondus, & Chri-  
sto Hirco pro peccatis nostris  
immolato, nullum nos proprio-  
rum peccatorum onus preme-  
ret.

Sed ô hirci emissarii, ô hirci  
foetidi peccatores, Christus Ag-  
nus Dei immaculatus pro no-  
bis hircus pro peccato factus,  
ita sub alienis genuit pec-  
catis, emisso etiam sanguineo  
sudore, cur non & nos no-  
stram sentiamus foeditatem, &  
gravitatem peccatorum, sub  
tanto præli, & torcularis pon-  
dere gementes, & Dei Filio  
compatientes, qui meritò con-  
queri-

*Nos hirci  
emissarii.*

*Maledi-  
cione ple-  
ni*

*Nec tamè  
onus sen-  
timus.*



queritur, quod torcular calca-  
vit solus, & de gentibus non  
est vir secum.

Junge te igitur, ô Anima  
peccatrix, & compatere Dei  
Filio pro te, sub prælo, gemen-  
ti, lege sudoris sanguinei notas  
in Libro vitæ expressas, qui li-  
gandus ab hostibus conquiri-  
tur.

IX.  
Ioan. c.  
12, 12.

Ligatur  
Liber vi-  
14.

Cohors autem, & tribunus, &  
ministri Iudæorum, compræhende-  
runt Iesum, & ligaverunt eum. Li-  
gatur liber ad decorem, &  
subinde si manibus magnatum  
tractandus sit, copertâ, (ut vo-  
cant) elegantior, & inauratâ,  
ac funiculis sericis vario colore  
distinctis ligatur; sed Liber vi-  
tæ duris funibus, & ferreis im-  
maniter colligatus vinculis,  
crudeliter à lictoribus, (nec  
mysteria libri signati, nec lite-  
ras scientibus, & agnoscenti-  
bus) pedibus sacrilegis concul-  
catur.

Apud Hug  
h.c.

Christus  
ligatus  
nos soluit.

Notat Augustinus, quod im-  
pii lictores compræhenderunt,  
& ligaverunt eum, à quo solvi  
potius velle debuerunt. Et quinam  
lictore ista, qui tam immaniter  
Librum Vitæ, Verbo æterno  
inscriptum ligant, nisi nos pec-  
catores ingrati? qui quantum  
in nobis est, Dei Filium denuò  
prælo subijcimus, peccatorum  
nostrorum onere illum pre-  
mentes, & vitiorum nostro-  
rum vinculis colligantes, à quo

solvi potius velle deberemus.  
Ut enim quondam hircus pro  
peccato nostro ligandus, ita  
modò venit agnus peccata mû-  
di, & vincula pravitatis nô-  
stræ soluturus, ad dandam per-  
vincula & captivitatem suam  
nobis tanquam hircis emissariis  
libertatem.

Huc ergo properent hirci <sup>psal. 106.</sup>  
fœtentes emissarii, peccatores, <sup>v. 10.</sup>  
<sup>sedentes in tenebris & umbra mor-</sup>  
<sup>tis, vincti in mendicitate & fer-</sup>  
<sup>ro, sedentes perseveranter, in</sup>  
<sup>tenebris, ignoranter, in umbra</sup>  
<sup>mortis, culpabiliter, vincti pœ-</sup>  
<sup>naliter in mendicitate penuriali-</sup>  
<sup>ter, & ferro, obstinatè; prope-</sup>  
<sup>rent, dico, ad sacrata hæc vin-</sup>  
<sup>cula peccatores vincti, ut vel</sup>  
<sup>per contactum horum vincu-</sup>  
<sup>lorum ipsi à suis vitiorum vin-</sup>  
<sup>culis solvantur.</sup>

Ad vin-  
cula Chri-  
sti recur-  
rite.

Et siquidem Catena, qua  
Christi Vicarius Jerosolymis  
tenebatur ligatus, Romam al-  
lata cum illa se, conjunxit, &  
sua virtute obsessum Ottonis  
Imperatoris comitem à maligni  
spiritus captivitate liberavit,  
ita vincula peccatorum nostro-  
rum supplices innocentis Sal-  
vatoris vinculis innectentes,  
per ea à maligni spiritus ser-  
vitude liberationem rogemus,  
ut sic cum Psalmista dicere va-  
leamus, *dirupisti Domine vincula*  
*mea.*

Vincula  
non deno-  
danda,

Psal. 115.  
v. 17.

Hug. Car-  
din. hic.

Optimè notat Hugo Cardi-  
nalis

nalibus: Non dicit denodasti, sed dirupisti, quod utilius est: hinc & Hieronymus: Herenti in salo navicula, funem magis præscinde, quam solve. Quod enim solvitur tantum & denodatur, facile iterum ligatur. Denodant his sacris temporibus Christiani per Paschalem conscientiarum emundationem vincula sua, & funes peccatorum, mox iterum in ipsis festivi temporis solem-

nitatibus, antiquis computationum, malarum societatum lasciviarum, vinculis innodandi. Non sic, non sic charissimi: Non denodemus, & solvamus tantum, sed dirupamus vincula eorum, ut ita liberi, liberè Libri Vitæ imitari vitam, & sequi mandata valeamus, inscribendi Libro æternæ Prædestinationis, & Vitæ, Amen.

S. Hieron.  
in prologo  
Bibl.  
  
Sed rum-  
penda.

## LIBER

Vitæ, & Lamentationum,

Scriptus Intus, & Foris, signatus Sigillis septem.

Thema.

Vidi supra Thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. *Apoc.* 5. v. 1.

Pars III.

*Expediuntur reliqua de Libro Vitæ.*

**I**N magna semper æstimatione, & pretio fuerunt gravium auctorum libri, & manuscriptorum, prout de seniore, junior Plinius testatur, unicum ab ipso conscriptum volumen Electorum Romanorum ( licet nondum perfectum ) à Largio Licinio 40. millibus nummum

sollicitatum fuisse. Testatur pariter Lactantius Sibillæ Cumanæ scripta trecentis coronatis fuisse coempta, ut alios libros & manuscriptorum præteream magno pretio conquisita.

Christum Jesum, Librum Vitæ, & veritatis tanti æstimaverat Doctor gentium, ut ad om-

1.  
Mañulus  
Colloq.  
23. mihi  
fol. 767.  
Libri gra-  
vium au-  
ctorum  
magni æ-  
stimantur

1. Corint.  
2. v. 2.

omnem suam doctrinam, gen-  
tibus proponendam, nullam  
præter istum desideraret: Non  
enim, iudicavi me scire aliquid inter  
vos, nisi Iesum Christum, & hunc  
Crucifixum. Ex hoc libro om-  
nes suas Conciones Paulus con-  
scripserat, omnem extraxerat

Librum  
Vita su-  
per omni a-  
stimatione  
Pauli.

scientiam, ac sapientiã hauserat,  
hoc unico mediante Auctore,  
Doctõr gentium effectus. Quare  
non immeritò tantam Paulus  
de hoc libro astimationem conce-  
perat, ut præter illũ nihil sci-  
re, nec sine illo aut vivere vel-  
let, aut mori, sed in illo diebus  
ac noctib' meditans, nec eũ pro-  
omnibus mundi thesauris venale-  
m habuisset, omnia arbitra-  
tus, ut stercora, ut Christum  
lucrifaceret. Dolendum ve-  
rò, quòd libri hujus pretium

Judas par-  
vi astima-  
vit.

tam parvi astimaret, erit Judas  
mercator pessimus, quem sub  
prælo, in Monte Oliveti, san-  
guineo adhuc sudore madidum,  
& tumultuariè ab hostium funi-  
bus ligatum, triginta argenteis  
vendidit populi principibus.

Vendens  
30. argen-  
teis.

Utamur ergo nos (istius pesti-  
mi mercatoris insipientiã pru-  
dentiores redditi) jure retractũs,  
Christum Crucifixum, Librum  
Vitæ ex impiorum manibus re-  
dimentes, ad hauriendam ex eo  
veram & cœlestem sapientiam,  
& mysteria in eo recondita.

II.

Censura  
libri Vita

Liber in publicam lucem e-  
dendus, prius censoribus subji-  
ciendus, qui judicent, an nihil  
P. Franc. Josephi Op. IV.

in eo sit contra Fidem, & bonos  
mores. Et quidem in puncto  
fidei & morum, censura spectat  
ad Inquisitores, Episcopos, &  
ne quovis modo quies & ordo  
statũs politici disturbetur, e-  
tiam subinde suprema regno-  
rum regimina censura sua su-  
bjiciendos prætendunt libros,  
in lucem noviter prodituros.

Similiter Librum Vitæ, Chri-  
stum Jesum, immaniter liga-  
tum servi & ministri Pontifi-  
cum ad censuram rapuerunt, &  
adduxerunt eum ad Annam pri-  
mũ; Hic statim quæstionem  
instituit de discipulis & doctri-  
na ejus, num aliquid contra le-  
gem, fidem, aut bonos mores  
docuisset: Ego palam locutus sum.

Ioan. 18.  
v. 20.

Quoad mo-  
ros  
res  
Quoad mo-  
ros  
res

Quoad mo-  
ros  
res  
Quoad mo-  
ros  
res

Quoad mo-  
ros  
res  
Quoad mo-  
ros  
res

Quoad mo-  
ros  
res

Censurã  
dat miles  
immorige-  
rit.

O o o

im-

impressa in primam Libri Vita  
faciem, ut copioso defluente  
sanguine, etiam digitorum chara-  
cteres genis intumentibus impres-  
si remanerent, uti ex sudario S.  
Veronica etiam nunc videre licet.  
Ad hujus alapae inflictionem  
stupente aulae caelesti, Censori  
impio applaudebat ministrorum  
cohors, mansuetissimè interim  
respondente Christo; *Si male  
locutus sum, testimonium perhibe de  
malo; si autem bene, Quid me cae-  
dis? Quid ista responsione verius,  
(ait Augustinus) mansuetius,  
hic, justius?*

S. August.  
apud Hug.  
hic.

Matth. 26  
v. 63.

Quoad fi-  
dem cen-  
suram dat  
Pontifex.

Hac contra bonos mores, mil-  
itari more, & jure, data censura,  
misit eum annas ligatum ad Carpham  
Pontificem, qui rigidam in Librum  
Vita exardescens censuram, con-  
juravit illum, *per Deum vivum,  
si tu es Christus Filius Dei? Tu dixisti,  
respondet aeterna Veritas. Ve-  
runt amen amen dico vobis; ammodo  
videbitis filium hominis sedentem à  
dextris virtutis Dei, & venientem  
in nubibus caeli.* Expressum hic  
errorem contra fidem, Pontifex  
se deprehendisse in Libro Vita  
sibi congratulatus, scidit vesti-  
menta sua, dicens: *blasphemavit.*  
Et ad circumstantes conversus:  
*Ecce nunc audistis blasphemiam, quid  
vobis videtur?* Ut ergo omnes exa-  
cerbatum pariter cum Pontifi-  
ce, erga Christum, gerebant  
animum, ita similem dederunt  
censuram. *Rem est mortis, ut-  
pote suspectus, & erroneus*

contra fidem & bonos mores,  
quare Librum Vita, & Verita-  
tis quod potuerunt ignominio-  
sissimè tractantes, expuerunt in  
faciem ejus, & colaphis eum cecide-  
runt, alij autem palmas in faciem  
ejus dederunt, &c.

Ab inquisitoribus, & Eccle-  
siasticis Censoribus, ad politi-  
cos Liber Vita protractus est:  
*Adducunt Iesum à Ca'pha in Prae-  
torium, accusandum, quod tu-  
multum in populo, prohibicio-  
nem tributi solvendi Caesari, &  
seipsum regem fecerit. Inqui-  
rit itaque Censor Politicus, Tu  
es Rex Iudaorum? Tu dicis; re-  
plicat Christus, sed, Regnum  
meum non est de hoc mundo. Ergo  
Rex es tu? Tu dicis; quia rex sum  
ego, Ego in hoc natus sum, & ad hoc  
veni in mundum, ut testimonium  
perhibeam veritati. Audito ve-  
ritatis nomine, attonitus ha-  
rebat praeses, exquirens ab eo:  
Quid est Veritas. Et ubi melius,  
quam in Libro Veritatis addif-  
cere poterat veritatem? Sed  
non expectato responso, exi-  
vit ad Iudaeos Praeses, protesta-  
tus, se nullam dare posse in  
hunc librum adversam aut fini-  
stram censuram: *Ego nullam in  
eo invenio causam.**

Quoniam autem Pilatus cog-  
novit, Iesum de potestate He-  
rodis esse, remisit eum ad Hero-  
dem; Cupiebat hic jam ex mul-  
to tempore famosum hunc sive  
impolitoem sive Prophetam, &  
sig-

Censuram  
suspendit  
Pilatus.

Ioan. 18.  
v. 34.  
Marc. 15.  
v. 2.

III.  
Luc. 23.  
v. 10.  
Herodes  
Stolidum  
cepisset.

fignum ab eo, quacunque de-  
mum virtute factum, videre;  
Sed cum post multas propo-  
sitas quaestiones, nec signum nec  
verbum elicere posset, *sprevit*  
*illum Herodes cum exercitu suo, &*  
*illusit indutum veste alba; sprexit (ait*  
*Seraphicus hic) tanquam impo-*  
*otentem, tanquam ignorantem, tan-*  
*quam stolidum, quia coram accusan-*  
*tibus se non defensavit.*

S. Bonav.  
in Lucam  
hic.

Ex falsa  
censura.

Apparet  
mundi fa-  
lacia.

O temerarium impiorum  
censorem iudicium! quo ter-  
tium Libri signati sigillum,  
nempe mundus sensibilis, maxi-  
me revelatum, eiusque falsitas,  
caecitas & perversitas patefa-  
cta est; Dum Librum Vitae, &  
Legis complementum, blasphe-  
mum; Librum Veritatis, men-  
dacem; Librum Sapientiae,  
stolidum censendo iudicavit,  
iudicando proclamavit. In hoc  
mundi perversa fallacia, caeci-  
tas, ignorantia, & stultitia de-  
lecta fuit, nullo excusationi re-  
lieto loco. O Anima, quid de  
perversi mundi erga te exerci-  
ta iniustitia? Quid de falsis de-  
te iudiciis & cenisuris? Quid de  
tui conquereris contemptu? Si  
enim Verbum aeternum, & Dei  
sapientia, a mundo conculcata,  
contempta, & derisa fuit, quid  
mirum si eadem a mundo pati,  
tibi contingat? Disce, O Ani-  
ma, ex hoc Libri Vitae sigillo,  
mundum sensibilem, & omnia e-  
jus prospera, tanquam nugas nu-  
garum despiciere, adversa con-  
temnere, & solam veram Lib-

ri vitae sapientiam aestimare. Pi-  
latus ipse, licet gentilis, illam  
Herodis & Pontificum inju-  
stam censuram miratus, imò &  
scandalizatus, approbare eam  
non potuit, candidè fassus; *Nul-*  
*lam causam mortis inveni in eo.* *Politico-*  
*rum pro-*  
*cedura.*  
Importunis tamen Pontificum  
& seniorum precibus, accusa-  
tionibus & minis incessanter  
interpellatus, ignorabat, quid  
ageret, aequè Pontificum, &  
Caesaris gratiam perdere, quam  
innocentem condemnare veri-  
tus; Quare ita absolvere illum  
statuit, ut & de castigatione, Ju-  
dæi satisfactione, & Christus de  
condonata vita sibi gratiam ha-  
beret. *Corripiam ergo illum, & di-*  
*mittam.* Usurata hæc est politico-  
rum, & mundi sensibilis praxis,  
ut ita deservire velint iustitiæ,  
ut tamen suus relinquatur locus  
iniustitiæ; adumbratæ, per co-  
lorem iustitiæ.

Adesto igitur Anima Chri-  
stiana cruento spectaculo, & tre-  
mente corde Dei Filium lecto-  
rum voluntati, & immanitati  
traditum intueri, crudeliter fla-  
gellis lacerandum & scinden-  
dum. Librum Prophetæ Jere-  
miæ, acriter impio Joachim re-  
gi comminantem, scidit impius  
rex scalpello scribæ; Nec mi-  
nus impiè & crudeliter Judæi  
& Pharisei Librum vitæ & veri-  
tatis divinam ipsis vindictam  
minitantem, flagellis lacerari,  
& scindi fecerunt.

IV.  
*Scissura*  
*libri, der*  
*rothe*  
*Schnitt.*  
*Jerem. 26.*  
*v. 23.*

§ August. de C. D. l. 7. c. 34. Commemorat eximius Ec-  
clesiæ Doctor Augustinus, li-  
bros Numæ Pompilij de divino  
cultu, & ceremoniis conscrip-  
tos, & diu terræ reconditos, casu  
per colonum, aratro fundum  
janiculum, (in quo tumulus erat  
ipsius Numæ Pompilij) scinden-  
tem, fuisse erutos, & reper-  
tos; Idem testantur Titus Li-  
vius, Valerius, Plinius & alii.  
Absconditus quasi & ignotus  
erat mundo liber veritatis & vi-  
tæ Dei Filius in abyfso suæ hu-  
militatis, vel in terra carnis hu-  
manæ, quare, *salutem operaturus  
in medio terræ*, manifestari mun-  
do voluit, arando scindi ter-  
ram carnis passus, juxta illud  
Davidis: *Supra dorsum meum fa-  
bricaverunt peccatores, prolongave-  
runt iniquitatem suam*, Hierony-  
mus ex Hebræo legit: *Supra cervi-  
cem meam arabant arantes, prolon-  
gaverunt sulcum suum*. O imma-  
nes licitorum manus! O sava,  
& scindentia aratra! O acutif-  
sima, & savissima ferreis stimu-  
lis intexta flagella! quibus Vir-  
ginea terra & tenerrima caro  
Redemptoris arando arata, &  
sulcus sulco conscissus fuit!

V. Hanc crudelissimam aratio-  
nem, & Libri Vitæ scissionem,  
lacrymabilibus verbis describit  
Ludovicus Blofius, quod nem-  
pe veste immisericorditer spo-  
liatum & ad columnam protu-  
sum Dei Filium, deinde tam incle-  
menter ad columnam eum ligave-

runt, ut (quemadmodum legitur) ca-  
ro illius, funes, quibus vincus erat,  
prorsus operiret, tanta erat teneri-  
tudo, & mollities naturæ ejus; Quin  
& hoc scriptum reperimus, præ cru-  
deli illa funium constrictione, sangui-  
nem ex digitorum unguibus erupisse.  
Posthac funibus ferro intextis,  
virgis spinosis, flagellis savissimi-  
mis, ac catenis tenerrimum  
Corpus lacerando & scinden-  
do, pavementum sanguineis ri-  
vulis replevere, sanguine e-  
tiam, ex flagellorum violenta  
vibratione, parietes abundan-  
ter conspergente. ut, Mellifluus  
Doctor asserit. Illuminatus  
Thauler: *Neque etiam cutem  
duntaxat illius, virgis disciderunt,  
sed etiam sacratissimam Carnem ejus,  
inhumanis discerpere cruciatibus,  
adeoque dilaniarunt, ut omne ejus  
corpus, ceu excoriatum videretur,  
maligni illis, vulnus addentibus vul-  
neri, pœnam pœnæ, dolorem dolori.*  
Cumque jam dorsum illius tam cru-  
deliter d' lacerassent, & non nisi san-  
guinem videre esset, & vulnera; eum  
solventes, dorso ad columnam (ut  
quidam affirmant doctores) religa-  
runt, manibus supra caput simul al-  
ligatis. Ut scilicet, etiam por-  
recto ad verbera pectore, nulla  
à vulneribus immunis esset vir-  
ginei corporis pars. Defati-  
gatis autem in tam crudeli ex-  
hibendo spectaculo non tam o-  
culis, quam manibus licitorum,  
nondum tamen patientissimus,  
& patiendi pro nobis avidissi-  
mus

Crudeli  
flagella-  
to.

Thaul.  
cit.

Totum  
corpus sa-  
gellis la-  
ceratum.

Fessis li-  
citorum.

Libri ara-  
tro eruti.

Super dor-  
sum Chri-  
sti aravit.

Psal. 118.  
v. 3.

Blofius in  
explic.  
Pass. Dom.  
ex Thaul.

Indefessus  
Christus

mus Dei Filius, fessus erat, aut saturatus opprobrii, & doloribus, quamvis demum solutus de columna vinculis, semianimis in proprii sanguinis rivos conciderit, summos hosce, & intolerabiles dolores pro salute nostra, summâ perpessus patientiâ, & silentio, non edito, inter tot immania verbera, ullo clamore, aut singultu.

VI. Affirmat Ludovicus Blosius cit. *Plusquam 5000. vulnerum hic Christum excepisse.* Omniaque libri vitæ folia sanguineis numeris signata, & numerata, testatur regius Propheta: *Diminuerunt omnia ossa mea.* Sic

Pl. 2. v. 18.

Liber Vita scriptus intus & foris.

totus Liber Vitæ, sanguineâ conscriptum Rubricâ & tot millibus characteribus, quot vulneribus impressus cernebatur. Vidi librum scriptum Intus, & Foris: Græca versio habet: *Intus & à tergo*: Syriaca vertit: *Intus & retro*: Et septuaginta illud Ezechielis (erat scriptus intus & foris,) vertunt: *anteriora, & posteriora.* Syrus: *Ante & retro*: Arabicus: *scriptum erat dorsum eius, & venter eius.*

Intus in memoria erat scripta peccata

Intus etiam & foris hic liber vitæ scriptus erat in dolorosa sua flagellatione, nempe intus in memoria, foris in carne. Et quemadmodum mercatores in uno folio, seu latere debita actiua, in altero notare solent solutionem, sic Christus liber vitæ in sua memoria, omnia debi-

ta & peccata per humanum genus contracta, & contrahenda usque ad finem mundi conscripta, & signata habebat, in tenera autem carne sua, conscripta erat foris, ipsa charo suo sanguine facta solutio. Vel, intus in hoc libro vitæ, & in memoria, conscripta erant insignia humano generi collata, & infinita beneficia, foris ingrati homines suam scripsere stylis ferreis, factam Filio Dei compensationem; *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Erant hi sanguinei characteres, ingratitude nota.

Foris solutio

Intus beneficia

Psal. 34. v. 12.

Non iudico fore ex auditoribus quemquam, qui non tam cruento spectaculo, & ingrati tudini indignetur; Uti & quondam justo zelo David exarserat adversus illum ingratum & immitem divitem, qui charam, & unicam pauperis sui vicini oviculam mactaverat: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Ut rei & facti indignitatem agnovit David, tum demum prorupit in apertam correctionem Propheta Nathan: *Tu es ille vir. Tu, ô Rex, viam hæc percussisti gladio. & uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* Tu es ille vir, tu es, qui fecisti hoc: tu es ille vir. Indignaris, & quidem meritò & justè, ô Christiane, contra eos, qui librum vitæ tam immaniter flagellis sciderunt, & lacerarunt; *Vivit.*

Foris indignitas nota.

2. Reg. 12. v. 5.

Lascivi flagellant Christum.



Vivit Dominus (exclamas justo zelo) quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. Justissimè, & verissimè. Sed quisnam ille filius mortis?

Quisnam ille, qui Dei Filium tam immaniter flagellis laceravit? Tu, tu, peccator lascive, tu tu incaste fili, tu, tu impudica filia, tu perjura adultera, tu infidelis adulter, tu es ille vir, qui supra dorsum Salvatoris arando arasti, & fabricasti. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, & necdum peccandi finis; Prolongaverunt iniquitatem suam, dum (uti bene glossatur*

*Psal. 128. v. 3.*

*Hug. Cardin. hic.*

*Hugo) Iniquitatem addunt iniquitati, hoc est, iniquae cogitationi iniquum consensum, iniquo consensu iniquum opus, iniquo operi iniquam consuetudinem iniqua consuetudini iniquam necessitatem, deinde sequitur vel iniqua palliatio, vel iniqua excusatio, vel iniqua defensio, vel iniqua gloriatio*

Contra hos ergo hodieque conqueritur Dei Filius, supra dorsum meum arantes araverunt, fabricaverunt, prolongaverunt sulcum, iniquitatem suam, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Accede ergo ad Dei Filium, ad librum vitae, à te conscissum & laceratum lasciva anima, inspice characteres cruentos, sanguineas rubricas, scissuram libri sanguine tinctam, copertam (uti vocant) & corticem pellis decortica- tum; Aperi, & lege verba libri

signati, & invenies apertum sigillum Reatus culpabilis, & gravitatis peccati, praesertim foetidae luxuriae, sanguineis rivis abluenda.

In illa seminantis parabola, *Luc. c. 8.* memorat ipsa divina Sapientia, quod *Verbum Dei, cecidit inter spinas.* *Coronatio*

Cecidit utique etiam divinum illud, humanam carne vestitum, *Verbum, & Liber Vita,* inter spinas, dum amantissimus *Semen inter spinas.* Jesus Mariae Filius, flagellis immaniter jam laceratus, spinis acutissimis coronatus est, lictores enim à principibus Sacerdotum pecuniis corrupti, ut Jesum quò possent saevissimè, & ignominiosissimè tractarent, cum audissent, quòd se regem facere attentasset, coronam magnam, pilei instar, plectentes, eam Regi Gloriam imposuerunt, tam violenter, & crudeliter capiti ejus impressam, *Apud Blosium cit.*

ut (teste Bernardo) aculei cerebrum attingerent, ipsas quoque *Quam pe- nois coro- natio?* nas, nervos, & ossa capitis penetrantes, adeò ut sanguis illius sacro permixtus cerebro ubertim per faciem, per collum, & per capillos deflueret. Considera, o homo, quàm excessivus iste fuerit dolor, si enim uni nostrum spina in digito haeret. accedente putredine, intumescenti, quomodo angimur, & torquemur? cum tamen *Anselmus apud eud.* Christi venerandum caput (uti affirmat Anselmus) vel mille aculeis compunctum est. Regali hoc

dia-



diademate hētores Regi Gloria illuferunt, arundinem pro ſceptro porrigentes, & lacerā indutum purpurā, genuflexi Regem Judæorum ſalutarunt, ſacram interim faciem alapis ſæviſſimè cædentes. O Anima Chriſtiana, ſponſa cœleſtes, egredimini, & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua (nempe Synagoga noverca) in die deſponſationis illius, dum nempe Eccleſiæ ſuæ factus eſt ſponſus ſanguinū.

VIII. Et unde, ò Sponſa cœleſtis, Anima Chriſtiana, ſacratum figurati Salomonis Caput tot ſpinis confixum, & perforatum æſtimas, niſi quia te, in vepribus & ſpinis vaſtæ peccatorum ſolitudinis hærentem, inſecutus eſt? Fecit Dominus ſicut canis venaticus, qui ſeram inſequens, caput intra ſpinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut ſeram capiat. Animam quaſi ſeram intra ſpinas latitantem extraxit, ſed punctiones ſpinarum uſque ad ſanguinis effuſionem ſuſtinuit, cujus ſignum ſpineam coronam portavit in capite.

In Capite ergo Libri Vitæ, acutiſſimis ſpinis coronato, magnus Dei erga animam humanam amor, & æſtimationo eluxit, aperto per has ſpinas ſecundo ſigillo, quod eſt ſpiritus intelligibilis, quantum ad dignitatem animæ rationalis, tanti à Verbo divino & Patris æterni Unigenito æſtimatæ, & amatæ, ut eam

inter pungentes ſpinas inlequi non detrectaret, nihil acutiſſimis aculeis abſterritus, quin eam inſtar canis venatici avidiſſimè è ſpinis extraheret, ſpinarum licet mille aculeis vulnerandus.

Revelata eſt pariter benignitas ſpiritus intelligibilis, quoad Angelos, dum magna cum contradictione aſquitatis, & decentia, regem ſuum tam ignominioſè à terræ vermiculis coronatum intuiti, magnam ſibi fecerunt ulciſcendæ injuriæ violentiam, ne hominum ſaluti, regis ſui honorem zelando, præjudicarent. Sicut è contra in doloroſa & ignominioſa hac Filii Dei coronatione mundo innotuit malignitas ſpiritus intelligibilis, quoad dæmones, qui omnes ingenii vires exeruerunt, ad inventis dolorum, & ignominiarum modis, quibus illata ſibi à Jeſu Nazareno dama-na ulciſci, & taliter ejus memoriam eradicare valerent, ut nomen ejus non memoraretur amplius, nec amplius Meſſiæ, ſed ne hominis quidem ſpeciem referret. Prout & ipſe, tam cruento Chriſti aſpectu attonitus præſes, foras illum productum populo exhibuit; dicens: ECCE HOMO: Quaſi diceret: En, qui vobis de ambiendo Meſſiæ, aut Regis titulo ſuſpectus, ad mortem poſtulat-  
tutus fuit, jam ſtillante ſanguine perfulus, toto corpore lacerus,  
cate.

Benignitas Angelorum.

Malignitas Dæmonum.

catenis vinctus, spinis coronatus, in facie livoribus & tumoribus dedecoratus, omnem ambitionis speciem deposuit, vix hominem, nedum regem, aut Messiam specie & facie sua referens. Applauserant sibi valde de hoc spectaculo maligni spiritus, sed mentita est iniquitas sibi. & infernalis astutia à mirabili divina Sapiencia, devorata est.

IX.

Zopyrus primarius, & fidelissimus Regis Persarum minister, redacta in Assyriorum potestate regiâ civitate Babylon, haud facile recuperanda, feria, & varia secum de eadem regi suo Dario restituenda, consilia egit, demum in istud se stratagemata resolvens, ut sibi toto corpore vulnerato, etiam nasum, labia, aures, & supercilia præscinderet, & in tam horrenda specie coram Dario comparens ipsi persuasit, ut sibi ad Assyrios transitum concederet, conquesturus ibidem implacabiliter de crudeli erga se regis sævitia, ac opem contra Persas se ulciscendi, imploraturus, quo stratagemate facile Assyrios nihil de sua exacerbatione dubios Persico exercitui trucidandos, ipsamque urbem in eorum manus redigendam non dubitaret. Uti Dario displicuit summopere fidelis servi forma despectissima, sic placuit sincerissimum ejusdem consilium,

quod & pari felicitate eventus secundavit, nam Zopyro ab Assyriis in ducem contra Persas declarato, totus illorum exercitus internecioni datus, & urbs in istorum potestatem redacta est. Quæ sapientissima Zopyri fidelitas ita regi placuit, ut eum intimè amans, summèque æstimans, tantum de deformi conqueretur forma, non ampliùs emendanda, quare dicere rex solebat: Malle se Zopyrum foeditatis expertem, quàm mille Babylonias. Cùmque præfatus rex semel Pomum Granatum, scinderet granis fertissimum, dixisse fertur: Utinam tot fideles Zopyros haberem, quor malum istud granatum grana.

Eramus nos miseri Adæ filij à patria, & supernâ civitate Jerusalem exules, & ita civitatem amiseramus, ut recuperanda nulla spes affulgeret. *Supra flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Eodem stratagemate usus Christus, Psal. 136. v. 1. Nec infelix Adæ posteritas auxiliatricem habebat manum: *Hominem non habeo*, qui amissæ civitatis possessionem restitueret. Sed: **ECCE HOMO.** Non quidem purus homo, sed Deus & homo, Christus **JESUS**: Iste nobis fuit *Liber possessionis*, de quo Jeremias; hic fuit fidelissimus noster Zopyrus, ecce cùm non esset species, neque decor, suâ nos deformitate  
in

Dan. Mal  
lonius de  
S. syndo  
ne c. 17.  
ex ulti-  
mo lib. 1.  
Flut.

Zopyri  
mirè de-  
surpatis fi-  
delis. ut.

Jerem. 6.  
32. v. 11.

in possessionem cœlestis patriæ restituit, miro divinæ sapientiæ stratagemate, quo maximè primum libri signati sigillum reclusum fuit, nempe Deus mirabilis in Sapientia.

X. Viso enim hoc innocente homine à suamet gente tam crudeliter torto, & lacerato, certò sibi persuasere maligni spiritus, taliter illum populo suo fore invidum, ut exacerbato, & vindictam sitienti animo, ad divinæ justitiæ tribunal recursum, pro populi Judaici, imò totius humani generis, & impii mundi exterminio sit expositurus; Nec minùs quicquam maligni sibi persuadebant spiritus, quàm hominem istum, hostium suorum immanissimorum esse posse amicum. Sed altiora longè mirabilis divina Sapientia egit consilia. Nam Dei Filius spontè sua se pœnis offerebat, manibus impiorum, salutem operaturus eorum, in quorum domo fuerat tanta mala perpessus. *Hic plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me; vel (ut Syri & Arabici Antiocheni legunt) plagatus sum inter amicos meos; Alexandrini legunt, venerunt mihi de domo dilecti mei, & quidem hæc venerunt Filio Dei, non invito, sed quia ipse voluit, tam miserabiliter plagatus, ut à malignis spiritibus juratus hostis humani generis, & populi tam gentilis quàm Judaici*

æstimatus, inopinato illos debellaret insultu, & insperatò dæmones circumventos, & devictos à regno ipsorum eos profligaret, exuli generi humano possessionem regni cœlestis, & in integrum restitutus. Nihil minus sibi maligni spiritus, quàm Christum populi sui amicum æstimabant, sanguinem ejus vindictam de terra contra fratres suos clamaturum rati: Sed habemus sanguinis asperionem meliùs clamantem, quàm Abel; quia iste veniam, ille vindictam; iste salutem, imò & persecutibus veniam, ille damnationem clamat, ait Interlinearis. Quare admirabilis sapientiæ divinæ sigillum hîc apertū astutus serpens infernalis jam demū agnovit, & quòd priùs vaferrimâ suâ astutiâ, & ingenii sublimi subtilitate capere non poterat, jam captus cepit; Zopyrum, scèdissimè per lictores ipso instigante plagatum, scilicet Christum, tum demum sibi inimicum, & generi humano amicum expertus; Imperceptibile sibi videbatur, quòd populus eum (contra quem insanâ rabie Crucifige Crucifige clamaverat) habiturus esset Redemptorem, infernus autem supplantatorem. *Morsus tuus ero inferne, escam vulnerati corporis mordens, divinitatis hamum devorabis, qui ventrem tuum dirumpet.*

Ignorantes ergo eum maligni

PPP

ni

XI.

Sapientia  
Dei mirabilis.

Hebr. 12.  
v. 24.

Glossa  
Interlin.

Zach. 13.  
v. 6.

Confutur  
duntur  
dæmones  
in sua  
astutia.

P. Franc. Josephi Op. IV.

Baiulatio  
Crucis.

Luc. 23.  
v. 28.

ni spiritus, quem mordebant, & in sua astutia deficientes scrutantes scrutinio, urgebant per Principes & seniores populi accelerari sententiam & mortem Redemptoris. Cum votis ipsorum condescendisset Præses, proclamata contra innocentem Dei Filium sententiâ, confestim lictores conglutinatum jam vulnerato corpori purpuram avellunt, & propria reindutum veste, ponderosâ gravant Crucis mole, plagatis humeris crudeliter injectâ; hanc summa animi tranquillitate & patientiâ portandam suscepit Dei Filius, quantvis deficientibus viribus sapius sub gravissimo onere oppressus, dolorosissimè ceciderit. Magna sequebatur ductum Redemptorē turba, cujus aliqui dubium rei successum, & astimati Prophetæ mortem videre, alii in cruento illo spectaculo invidos oculos fatiare gestiebant, perpauci autem, instigante compassione, cruenta Christi vestigia premebant. Inter hos erat dolorosa mater cum pusillo suo, & afflicto grege, Joanne scilicet, & quibusdam devotis matronis, salvatoris dolores effuso lacrymarum in bre deplorantibus, ad quas convertens se, sub gravi Crucis mole, Dei Filius ait: *Filia Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas stete, & super filios vestros: Quomam*

ecce venient dies in quibus dicent: *Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, que non lactaverunt. Quæ verba maximè excidium urbis indigitabant, divina autem justitiæ in iudicio rigorem, & damnatorum pœnam, sequentia: Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos: Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido, quid fiet? id est, qualem & quantam pœnam sustinebunt in futuro, id est, in inferno.*

Reseratum hîc fuit quintum libri signati sigillum, scilicet *Infernus horribilis*. Si enim in ligno viridi divina justitia hoc fecit, id est, in Christo, nam *lignum viride Christus est*, (ait Hugo) *omnium virtutum virore virens, nihil omnino ariditatis habens, quod esset dignum combustione, id est, punitione. quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Isa. 53. Si, inquam, in viridi hoc ligno, quod aliena tantum suscepit porranda peccata, divina justitia tam tremendum statuit severitatis exemplum, *in arido quid fiet? Id est, in peccatore ab omni gratia arefacto, qualem & quantam pœnam sustinebit peccator in inferno pro propriis delictis, si Christus lignum viride tam horrenda sustinere debuit tormenta pro alienis? Quomodo te uret luxuria tua, superbia tua, avaritia tua, invidia tua, in inferno, & lignum*

Quom  
ardeb  
in se

Infernus  
horribilis

Hug. Car.  
din. hic.

Christus  
lignum  
viride.

Hugo hic

Peccator  
lignum  
aridum.

Quomodo  
ardebit in  
inferno?

num aridum, si tantis in Christum exarsit tormentorum poenis culpa aliena? Et siquidem avertenda illi poena infernali, tam dira Christus sustinuit pro te tormenta, quanto erant illa incomparabiliter, & infinite acerbiora, quae peccatori in inferno aeternum restant sustinenda? Imprime, o anima peccatrix, hoc sigillum, super cor lascivum, & super brachium tuum malignum, mature considera, & cautius in via mandatorum incedens, non peccabis.

XII.

Sudariū  
Veronica.

Inter alias devotas matronas acerbam Christi passionem deplorantes, erat praecipue nobilis quaedam vidua, nomine Veronica, quae ex cōpensione cum gravi crucis onere transeunti redemptori porrexit sudarium, quo faciem suam divinam sputis & sanguine superfusam absterge e valeret. Placuit dulcissimo Mariae Filio, hoc charitatis sibi exhibitum officium, & accepto sudario ad consolationem devotae hujus matronae, imò omnium fidelium, faciem suam divinam impressit, & ita perfecte expressit, ut vis quasi coloribus omnia sacratissima vultus lineamenta, plaga, tumores, & livores expressi cernerentur, quod quidem sudarium debitā reverentiā adhuc Romae asservatum, fidelibus monstratur.

Et hoc est, Auditores charissimi famosum illud Libri Vitae, & Lamentationum Frontispicium, quod imprimis Capiti libri, aeterno scilicet Patri exhibendum convenit, Itaque, O Pater aeternae. *Protector noster* sal. 83. v. 10.  
*aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Respice in faciem libri vitae, respice Frontispicium, & vide, an ex illo dignoscere valeas, quod scriptum sit Verbum tuum aeternum in libro lamentationum amarissimae passionis IESU Nazareni? Respice an hanc agnoscas Filii tui faciem, imaginem claritatis tuae? Et tu protectrix nostra, aspice Maria, & respice in faciem filii tui, vide an haec effigies, filii tui sit, speciosi praefiliis hominum? Protectores quoque, & custodes nostri, respicite Angeli, & respicite in faciem Christi nostri, videte, an haec sit forma vestri Regis Gloriam, in quem desiderant Angeli prospicere?

Sed & tu Peccator aspice reus, & respice in faciem Christi tui! Vide qualiter verberibus, spinis, contusa, vulnerata sanguine & livore suffusa, & sputis foedata sit? Quis putas ita Christi tui dehonestavit, & deformavit divinam faciem? Judaei & haeretici faciem & imaginem Christi dejiciendo, & calcando? sacratissimum ejus (in SS. Eucharistia praesens) Corpus rejiciendo

ciendo? Ecclesiam Dei blasphemando? Non abs re loqueris Christiane, sed noveris, non minùs hoc Libri Vitæ divinum Frontispicium à te fœdatum, consputum, & deturpatum scelestis tuis blasphemis, perjuriis, imprecationibus, & divini nominis, ac SS. Sacramentorum dehonestantibus verbis. Hæc, hæc sunt fœtencia illa sputa, alapæ, & verbera, quibus tam fœdè divina hæc facies fuit deformata. An nulum in orbe locum despectiorem reperire poteris sceleste, quò furoris tui spumantia verba & sputa effunderes fœtencia, quàm in Faciem Christi tui? Respice in Faciem Christi tui, à te tam ignominiosè tractatam, & disce demum à scelestis tuis abstinere blasphemis, & divinam Christi tui faciem revereri.

XIII. Respiciere quoque Libri Vitæ Frontispicium proderit, ut ex eo apertum sextum Sigillū agnoscamus, quod est *Virtus laudabilis*, tam pulchra & speciosa, ut tantā sputorum, & livorum copiā non contecta, inò nec minimū fuerit obscurata, sed quo pluribus sacratissima facies obruta fuit sputis & livoribus, eò clariùs profunda ejus humilitas, Patientia, Caritas, & omnis virtutum decor, libro vitæ intus & foris inscriptus, mundo illuxit. Itaque *respice in faciem Christi tui*, hoc est (ut

Augustinus exponit) *notus sit omnibus Christus tuus, ut possimus ire à virtute in virtutem*. Notum, ô Domine, fac omni populo Christum tuum, imprime cordi eorum, hujus Libri Vitæ frontispicium, & virtutis laudabilis desiderium.

Sed quoniam parum aestimatur & teritur via virtutum, abierunt multi in viam, & modum vivendi gentium, iram tuam justam provocantes, idcirco *protector noster aspice Deus*, S. Hieronymus ex Hebræo legit, *Clypeus noster*, nam contra iram & vindictam divinæ tuæ justitiæ, non alium, nisi hunc habemus clypeum, respice igitur, ô Pater æterne, clypeum nostrum, qui à furore tuo nos protegat, *aspice oculo misericordiae peus*. *super nos, & ut nostri facilius merearis, respice in faciem Christi tui; Respice ipsum hominem factum, consputum; flagellatum, crucifixum, mortuum, &c.* exclamat Hugo. Istum, in hisce calamitatis temporibus contra tela divinæ vindictæ, teneamus clypeum. O Deus, Protector noster, (alium enim, qui nos protegat, non habemus) respice in hunc clypeum, in faciem Christi tui, & per ejus sanguinem, non vindictam, sed misericordiam, clamantem, patriæ mala avertens, exhibe afflicto populo Christiano misericordiam.

Hora est, ut liber Vitæ in pul-  
pi- XIV.

Blasphemi  
faciem  
Christi  
conspuumt

Virtus  
Laudabilis  
revelata.

S. August.  
h.c.

S. Hieron.  
hic.

Facies  
Christi est  
noster cly-  
peus.

Hug. Car-  
din. hic.

pitū crucis subleuetur, omnibus inspicendus, & legendus. Postquam ergo Dei Filius cum summo labore & angustia gravi mole Crucis onustus ad montem Calvariaē pervenit, in faciem procidens, se Deo Patri in holocaustum pro totius mundi peccatis obtulit, cui immanes justitiæ ministri impetuosē vestem denuō, sanguinolento, & vulnerato corpori conglutinatam, detrahentes, omnia rursus reficārunt vulnera, pelle unā cum vestibus hinc inde detractā, ut totum corpus crudam excoriati hominis carnem referret. Inde crudeliter in Crucem prosternunt, vel (uti revelationes S. Brigittæ recensent) erectæ prius Cruci in terra solidatæ & firmiter infixæ, redemptorem applicant, & dexteræ ad foramen extentæ ferreum & tremendum infigunt clavum.

Considera, ô Anima, quibus angustiis & doloribus conclusum fuerit cor benignissimi Salvatoris, dum grandis ille, incultus, & durus clavus violento mallei ictu manum benedictam perforaret, secū & nervos, & venas in foramen affigendas trahens. Cogita quā ineffabili dolore etiam sinistra violenter ad alterum foramen protracta, similiter & pedes extepti & affixi fuerint, omnibus quasi dissipatis juncturis.

Conqueritur de excessiva hac pœna vir dolorum, *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Hoc est (uti Cardinalis à S. Caro explicat) *ita me extenderunt in Cruce, quod poterant dinumerare omnia ossa mea.* Obstupefcit de inaudita hac pœnalitate & dolore Zacharias Propheta, & tanquam spectaculum à sæculo inauditum spiritu prævidens, exclamat: *Quid sunt plaga iste in medio manuum tuarum?* Attonita, & semianimis gemendo interrogat mater afflictissima: *Quid sunt plaga iste in medio manuum tuarum?* His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, scilicet *Iudeorum* (exponit memoratus Expositor) *qui me diligere debebant, verbo, & opere.* Sic à meo plagatus fui populo, qui à me ex *Ægypto* eductus, venturum me semper suspirabat Messiam, hic supra dorsum meum arans aravit, & modò ferreis istis pennis, sui memoriam in manibus meis descripsit. O penna duræ, ô calami immanes! O styli ferrei, qui in virgineo Agni Dei pergameno, tam formidabiles insculperunt characteres.

Accede & tu, ô Anima peccatrix, inspicere Librum Vitæ, in pulpito Crucis positum, vide an signa, & characteres noveris? Quare tremente animo: *Quid sunt plaga iste in medio manuum tuarum?*

In pulpito Crucis,

Liber VII in pulpito positus

Dolor Crucifixionis.

Psal. 21. v. 8.

Hug. Card.

Zach. c. 13. v. 6.

Quid sunt plaga iste

Hug. hic.

A Christi stantis plagatus.

tuarum? Et respondebit tibi, amantissimus redemptor; *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, in domo scilicet propria & electa mea Ecclesiae, à propriis meis fidelibus & Christianis, qui in vita mea imitationem jurarunt, & obligati, ac professi me diligere, suis peccatis me denuo persequuntur, & crucifigunt. Si inimici mei, si Turca & gentiles maledixissent mihi, & denuò ita immariter me affligerent, sustinuissem utique, sed quòd illi, qui in domo mea, dulcem Corporis mei capiunt cibum, me ita crucient, & iterum crucifigant, hoc dolorem, & cruciatus omnes excedit.*

XV.

Ma. 49.  
v. 16.*In manibus descripsit nos.*S. Anton.  
Pad. Dom.  
r. Pateh.  
S. Bonav.  
Compend  
Theol.

Sed nec sic de impetranda rursus venia desperet Crucifixor Christianus, quem poenitentem animat benignissimus Salvator; *Ecce in manibus meis descripsi te. Intelligit hæc verba Procopius apud Cornelium de Libro Vitæ prædestinatorum, qui liber est in manu Dei, propriissimè tamen intelligenda sunt de Christo, Libro Vitæ, supra pulpitum Crucis posito, in quo electi profundè sunt inscripti, & insculpti, in æternum non eradendi. Ecce, in manibus meis (ò Anima) descripsi te. Manus Christi fuerunt quasi charta; sanguis, quasi atramentum; clavi, quasi penna, ait S. Augustinus, & notat Doctor Seraphicus, quòd Dei Fi-*

lius tenere voluerit *clavorum* Verit. I. *in manibus & pedibus infixionem. in 4. c. 20. memoriam nostræ recordationis.* Imò non tantum in manibus & pedibus, sed in ipso aperto latere & corde descripsi te. Aquila legit, *accuratè descripsi te: Septuaginta; Depinxi te. Vivis te non tantum coloribus, ò Anima, sed proprio meo sanguine pinxi te, & cruentis characteribus inscripsi te in corde meo, in manibus meis, in libro vitæ. ut imago & nomen tuum non deleantur in æternum. Recogita ò Anima, quàm desiderabilis sit Paradisus, cujus te Civem ferreis calamis, atramento proprii sanguinis, in propriis manibus, & corde in debiliter conscripsit, simulque obligationem æterni reatus annullavit Dei Filius.*

Eramus nos miseræ Adæ Filij, decreto divino in nos fulminato, perpetuum à cœlesti patria relegati, & rei æternæ damnationis ex proprio nostro chyrographo. Sed postliminio nos revocavit Filij Dei benignitas, *delens, quòd adversus nos erat chyrographum decreti, quòd erat Delictum contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, assignans illud Cruci, in locum autè illius arctè obligantis chyrographi, ferreis pennis, & proprio sanguine, in chartâ manuum suarum descripsit nobis librum emptionis, attestans, quòd proprio nos sanguine suo de-*



Scripte li  
brum emp  
tionis, cen  
sus & pos  
sessionis.

de potestate & servitute inimi  
ci redemerit; Librum Censûs  
scripsit, quo omnium meritorum  
suorum nos redderet participes,  
& plenum legaret usumfructû;  
Librum Possessionis, quo nos  
in cœlestis patriæ possessionem  
immitteret.

Titulus  
libri vi  
tae.

In cujus rei testimonium au  
thenticum (asserit Seraphicus)  
libro vitæ in pulpito Crucis af  
fixum fuisse, titulum emptio  
nis, censûs, & possessionis,  
nempe

**I E S V S N A Z A R E N V S  
R E X I U D Æ O R V M.**

S. Romay.  
ca.

Nam propter primum nos libera  
vit à peccato, & dicitur **I E S V S.**  
Propter secundum quia renovavit  
gratiam largiendo, dicitur **Nazara  
eus;** Propter tertium, quia cœlum  
aperuit, dicitur **Rex Iudæorum.** Hic  
est igitur Titulus Libri vitæ, ô  
Anima, cordi tuo inscribendus.

XVI.

Hunc è manibus & oculis tuis  
nunquam elabi patiaris, hoc tu  
um sit Archivium, hæc docu  
menta tuæ salutis. Non rece  
dat volumen legis ab ore tuo, medi  
taberis in eod diebus ac noctibus. No  
ta characteres omnes, & pun  
cturas. In libris ad usum no  
strum communiter inservienti  
bus duplicis fortis inveniuntur  
literę. Consonantes, & Vocales,  
hæ quinque enumerantur. In  
nostro Vitæ Libro supra pulpi  
tum Crucisposito, quinque  
principales literæ, seu Vocales  
reperimus scriptas, quinque sci

Iosue. i.  
v. 8.

Vocales &  
Consonan  
tes

Sunt vul  
nera Chri  
sti.

licet sacratissima vulnera ma  
nium, pedum, & lateris. Con  
sonantes, sunt omnes, per to  
tum sacratum Corpus dispersi  
characteres & cicatrices, quo  
rum numerum ad 6666. exten  
dunt contemplativi. Omnes  
hæ vocales, & consonantes u  
nitim ad iratum clamant Pa  
trem, ad impetrandam humano  
generi misericordiam. Pater  
dimite illis. Magnam hanc no  
tat esse consolationem Apосто  
lus miseris nobis peccatoribus:

*Habere testamenti novi mediatorem  
I E S V M, & sanguinis asperionem  
melius clamantem, quam Abel.*

Hebr. 12.  
v. 24.

Nam teste Antonio Paduano,  
sanguis Abel clamat vindictam, san  
guis Christi misericordiam.

S. Anton.  
Pad. 1. om  
1. Adv.

In extremo verò iudicio  
contra inimicos Crucis Christi,  
qui Librum Vitæ contemnere,  
& ejus sanguinem scelestâ suâ  
vitâ conculcare non destite  
runt, sed luxuriando, superbi  
endo, blasphemando denuò  
Regem Gloriæ crucifixerunt,  
non misericordiam, sed vindi  
ctam clamabit sanguis Christi.  
Contra hos (testatur Bernar  
dus) *Crux Christi portabitur in te  
stimonium, verbera ipsius contra te  
clamabant, vulnera ejus allegabant,  
clavi loquentur, cicatrices conque  
rentur.* Ne ergo ita tremendè  
contra te clamantem Christi  
sanguinem & vulnera in judi  
cio audire debeas, modò com  
patienter aurem præbere  
non

In iudicio  
sanguis  
Christi  
clamabit  
vindictâ.

Apud Ro  
may. Solil  
c. 3.

nō graveris clamantib' ad te misericorditer Libri Vitæ vocalibus & consonantibus, ad compansionem amorosissimè invitantibus. Audi clamantem de pulpito Crucis Librum Vitæ: *Vide Homo, quid pro te patior, vide poenas, quibus afficior, sed omni pœnâ, hæc est acerbior, quoddam ingratum te experior.*

S. Bernard

XVIII.

Compassio  
B.V.Daniel  
Mallonius  
de S. Syn-  
dono. c. 5.Eius lacryma  
sanguinea

Compatere, ô Anima, & lege hæc Libri Vitæ & Lamentationum verba cum matre dolorosa. Nam *stabat juxta Crucem IESV, mater ejus, nec oculos à lectione libri tristium, & cruentorum characterum remittebat; cujus tantus fuit dolor, ut sanguineas etiam ei lacrymas exprimeret. Ita testatur Theophilus Historicus (cujus fragmenta de historia Passionis Domini manuscripta, in celebri Monasterij sui Bibliotheca Bononiæ asservari Mallonius affirmat) his verbis. Quod omnem sensum evincit (lacrymabile dictu) sanguinea etiam lacrymæ ex intemerata Matris oculis erumpunt. O verè lacrymabilis dolorosæ matris ad Crucem statio, quam ita interpellat meus Seraphicus.*

S. Bonav. O Domina mea, ubi stabas? Nunquam. A-  
moris P. certè in Cruce cum Filio, ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat, quoddam ipse in corpore, tu autem in corde; Nec non, ejus vulnera per corpus ejus dispersa, sunt in corde tuo unita. Virtus autem & afflictio unita fortior,

Magna & vasta volumina magnæ utilitatis, in lucem edita, ut meliùs deserviant, in Compendium reduci solent. Vastum, & innumeris distinctionibus, & articulis divisum volumen,

Cor eius  
Compen-  
dium Pas-  
sionis.

est Christus Liber Vitæ in pulpito Crucis positus, cujus characteres per totum corpus sunt dispersi. Tractatus amplus: Vastum volumen; Sed hoc, in corde dolorosæ Matris, in parvum, sed nervosum valde, Compendiū, fuit redactum, ibi quinta essentia, & extractus totius Christi crucifixi inventus est. Ibi Domina (ait Seraphicus) *lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum, contumelias plenum, aceto & felle potatum. O Cor amoris, cur conversum es in globum doloris? Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed Myrrham & Absynthium, & sel video. Quæro Matrem Dei, & ecce invenio sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa es in ista. O mira res! Tota es in vulneribus Christi; totus Christus Crucifixus est inmersa intimis visceribus cordis tui. O Maria! Cor tuum vulneratum conjunge cordi nostro, ut tecum tuos vulneribus pariter vulneremur; & Passionis tuæ sacræ mysterium, tanquam signaculum portemus supra cor nostrum, compansione Crucifixi vulneratum.*

Ah! quæ lingua exprimere sufficit dolores afflictæ matris, cernentis filium, magno clamore

re emittentem spiritum, qui clamor, ut ipsa apud S. Brigittam testatur, per totū superstitis vitæ spatium, semper adhuc in ejus auribus resonabat. Tam triste hoc fuit maternis oculis spectaculum, ut mirum non fuisset, si dolorosæ matri ( nisi supernaturali fuisset sustentata virtute ) vita, & spiritus defecisset.

XX.   
 3. Reg. 10   
 Non habet ultra spiritum.   
 Audita Regis Salomonis fama, venit Jerosolymam Regina Saba sapientiam & famosum aulae apparatus expertura; videns ergo omnem Salomonis sapientiam, palatium, apparatus, vestium pompam, ministrantium splendorem, & holocausta in domo Dei oblata, non habebat ultra spiritum. Si splendor, & regius Salomonis apparatus halitum & spiritum præ admiratione pene interclusit regina Sabba, quam grave in cœlesti nostra Regina, & matre dolorosa deliquium stupendus, formidandus, & inauditus figurati Salomonis apparatus causare debuit? Egre d. m. ni. & videte filia Sion cum afflicta matre cœlestem Salomonem, cui pro throno trabs Crucis infamis, pro purpura, tinctū undiq; sanguine & vuleratū corpus, pro cibo & potu, fel & acetum, pro holocausto, crudelis proprii corporis mactatio ministratur. Quidni afflicta mater videns filiū magno clamore emittere spiritum, P. Franc. Josephi Op. IV,

tum, non habebat ultra spiritum? Et clamante Filio: Consummatum est omnes etiam vires in Maria consummatae sunt?

Libro plenè conscripto, & impresso, apponitur, *Finis*, ut liber completus & consummatus esse agnoscat. Antequam benedictum spiritum suum Dei Filius in Patris aeterni manus commendatum emitteret, exclamavit; *Consummatum est*. Ut totus agnosceret mundus consummatum, & completum esse Librum Vitæ, & Lamentationum, ut omnes nossent, illum intus & foris taliter esse characteribus sanguineis refertum, ut imprimendi, & scribendi ulterius locus non super sit, adeoque librum sub prælo Crucis plenè consummatum. *Finis*. Aperuimus sigilla, amice Lector; Librum vidimus in monte Oliveti prælo datum, ligatum, censoribus traditum, scissum, & pulpito Crucis impositum, inspeximus Frontispicium & titulum, explicavimus characteres & literas vocales & consonantes, formavimus nervosum in Corde virginali compendium; Et ecce *Finis*: Restat solum formanda Dedicatoria Epistola.

XX.   
 Dedicatio Libri.   
 Et quinam justius hunc Vitæ Librum dedicare decet, quam tibi, ô Anima Christiana, tibi ergo dedicatum volo hunc Librum Vitæ & Lamentationum, qui non recedat ab ore tuo, & me-

1. Corint.  
2. v. 2.

ditaberis in eo diebus ac noctibus, ex eo omnem scientiæ plenitudinem haustura. Huic soli libro studebat, & incumbebat Doctor gentium. Nihil arbitratus sum me scire, nisi IESVM Christum, & hunc Crucifixum. Aliam nõ requirebat Paulus Universitatem, vel Academiã, quã Jerusalem, non aliam Scholam, nisi montem Calvariæ, non aliud pulpitum præter Crucem, non alium desiderabat Lectorem, & Magistrum, quàm Crucifixum; non alios characteres, quàm sacratissima stigmata, nõ alia comata, nisi verbera, & livores, nulla alia puncta, quàm clavorum, denique non alium Librum, quàm hunc Librum Vita & Lamentationum, Christum Crucifixum.

Hunc ergo, tibi anima dedicatum volo librum, ut illi studeas diebus, ac noctibus, & illius characteres & sigilla cordi tuo imprimas, & facias secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Ut autem melius penetres & intelligas, sigilla libri aperti, ex iis notitiam universarum rerum hauries, & imprimis agnitã severissimã Dei justitiã, contra eum peccatis tuis insurgere, & offendere desistes. Ut autem melius capias sigilli hujus, justitiæ divinæ referatæ severitatem, tremendum Regis Moabitarum in mactando filio tibi spectaculum expendendum propono.

Obsessus arctissimè ab Israelitis Rex Moab, cum omnem sibi evadendi spem præcisam esse cognosceret, arripens filium suum Primogenitum, qui regnavit erat pro eo, obrulit holocaustum super murum. Viso tam immani, & inaudito spectaculo, facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, soluta scilicet oblivione. Nempe, (ut aliqui volunt) ex compassione enim reputaverunt indignum ultra obsidere regem, in tanta afflictione positum.

Peccatores intenderunt Arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ad obsidendum ausu temerario Deum suum; Ad avertendum & sedandum hunc insanum peccatorum furorem, misit Pater æternus Unigenitum suum, humana carne vestitum, sed ejus nec suavibus admonitionibus, nec acerbis comminationibus commoti, iram suam in ipsum converterunt filium: Convenerunt adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Cum itaque nullum sedando impiorum peccatorum furori super esset remedium, arripens Pater Filium suum Unigenitum, sibi corregnantem, obrulit illum in holocaustum in monte Calvariæ, toto inspectante orbe, ad emollienda peccatorum, se obsidentium, obstinata corda, & divinæ suæ justitiæ statuendum tremendissimum exemplum; declarans se per Isai-

XXI.

4. Reg. 3.

v. 27.

Rex Moab  
sacrificat  
filium.Apud Ly-  
raum  
hic, &  
Corneliã.Sic Pater  
æternus

Pl. 2. v. 1.

Unigeni-  
tum suumGrande  
spectaculum  
instruit.

IIa. c. 53. v. 8. *ara: Propter scelus populi mei percussit eum. quod nempe Filius luendum in se scepit.*

*Horrendus iste divinae justitiae actus fuit, cum Pater aeternus, proprio filio suo non pepercit, ut omnes peccatores severissimam hanc in proprium filium factam executionem aspicientes, ab offendendo & obsidendo peccatis suis Deo desisterent. Sed mirabilis aequè fuit actus misericordiae, dum, ut servum redimeres Filium tradidisti.*

*Quo in cruento spectaculo, primum Libri Vitae sigillum apertum, & Deus mirabilis in justitia & misericordia mundo innotuit, & inde obstinati peccatores fuerunt emolliti, severissimum enim divinae justitiae intuiti rigorem (quo Pater filio suo proprio non pepercit) receperunt*

*ab eo, timuerunt valde, ait Evangelista. Et magna est facta in populo indignatio, & commotio:*

*Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Non solum domum revertebantur (ait Hugo) sed etiam ad Cor, poenitendo, ut Centurio, & similes. Solverunt obsidionem peccatores,*

*partim tremendo justitiae exemplo exterriti, partim ex compassione, reputaverunt enim indignum, ultra obsidere regem in tanta afflictione positum, qui propter scelus populi sui,*

*proprium filium sacrificavit, ideò percutientes pectora sua revertebantur, qui simul aderant ad spectaculum istud.*

*Imò non solum qui aderant, sed etiam populi illi, qui à longè hoc inauditum misericordiae & tremendum justitiae divinae spectaculum depradicatum audièrunt, percutientes pectora sua revertebantur, ad aperturam mirabilis sigilli hujus, libri vitae. Imò creaturae omnes partim ex compassione misericordiae, partim ex timore justitiae se commoverunt; Petrae scissae sunt, terra contremuit, Sol & Luna obscurati sunt, velum templi scissum, sepulchra aperta sunt. Facta est indignatio magna in omnibus creaturis. Et tu Christiane, cui hodie cruentum hoc spectaculum, & apertum sigillum divinae justitiae & misericordiae ob oculos ponitur, petra durior non emolliaris per misericordiam ad compassionem, nec per formidabilem justitiam, ad tremorem? Nec Deum (qui proprium filium suum pro peccatis tuis sacrificavit) obsidere sceleribus tuis, oppugnare, & offendere vereris?*

*Respice, & contremisce ad hoc divinae justitiae mundo propositum, & exhibitum formidandum spectaculum, respice obstinate peccator, qualiter ego in facie totius populi, imò mundi*

Qqq 2

XXII. Imò & populi absentes.

Creaturae omnes commotae.

Contremisce peccator.

In tremore peccatorum

Math. 27. v. 54.

Luc. 23. v. 48.

Hugo hic

Commotio spectatores.

mundi totius, in elevato Calvaria loco Filium meum immaniter percusserim, ob peccata quidem populi mei, in se suscepta; vivo ego, dicit Dominus, si Filio non peperci, nec servo parcam. Respice peccator impoenitens, luxuriose, superbe, avare, invide, rixose, gulose, & percutiens pectus tuum revertere ad Cor poenitendo, respice. & respisce ad hoc inauditum divinae justitiae spectaculum, à filio innocente tam immaniter mactato disce tremere, serve nequam; Si enim filio non peperci, in quo mihi semper complacui, quomodo servo maligno parcam, in quo scelus non alienum, sed proprium reperero? Vivo ego, dicit Dominus, non parces furor meus. *Sagittae meae inebriabo sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Illum enim justitiae gladium, quo proprium mactavi filium, adhuc dextera mea contra mundum scelestum vibrat. *Egredietur gladius meus de vagina sua, ad omnem carnem, ab Austro, usque ad Aquilonem, ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum, de vagina sua irrevocabilem. Si ullus in nobis esset sensus aut ratio (ut ibene S. Antistes Valentinas advertit) quis post talem, ac tantam delictorum poenitentiam novam auderet incurrere culpam? Et pergit adhuc efficacius, hoc justitiae divinae specta-*

*Filio non peperci*

*Nec tibi parces.*

*Deit. c. 32. v. 42.*

*Ezech. 11. v. 4.*

*S. Thom. de villan. Dom. 2. Adv.*

culum, exaggerare. A principio siquidem, quantum odisset omne peccatum, per vindictam terribilem quidem demonstraveras; nam propter peccatum gratissimus tibi, & pulcherrimus Angelus, caelo ejectus est; propter peccatum homo cum sua posteritate paradiso privatus; propter peccatum totus aquis submersus est mundus; propter peccatum exarsit sulphureo igne adusta Pentapolis; propter peccatum terra dehiscens, veritatis amulos deglutivit: *Aegyptus Ponto submersa est, & innumeri populi vastati sunt. Nunquid ad peccati detestationem satis generum humano talia exempla sufficerent? Sed nihil me Domine ita deterret, nihil me sic à peccato detinet, sicut videre Filium tuum dilectissimum Vmgenitum, propter peccatum clavus affixum latronibus associatum, & crudelissimam morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris, quis post tale spectaculum peccare non formidat? Dicite obsecro, si quis rex latronibus adeo foret insensus, ut filium suum, unicum regni sui heredem, pro levi quodam furto furcā suspenderet, in ejus regno de cetero quis committere furtum auderet? Et Filius Dei pro unius pomi furto crucifixus est, & hoc scientes, offendimus omnes? Quo reatu? quo supplicio? quo inferno?*

Et planè si unquam hæ irati Dei, & exacerbatae divinae justitiae, minæ mundo intonerunt; infelicibus nostris contigit temporibus, dum per totum

*Semper Deum gratias agit pro peccato.*

*Sed nunquam ita le rigoris statuit exemplum.*

*Gladius iustitiae evaginatus.*

7. r. tum orbē, Gladius, gladius exacutus est, & limatus: ut cadat victimas, exacutus est, ut splendet limatus est. Splendet, ut terreat, exacutus est, ut occidat.

XXIII. Neque in hoc Justitia Dei acutissima est reprehensivebilis, quæ diu minando, & evaginando, patienter nos ad pœnitentiã expectavit. Testes invoco (ait Justus Deus) hodie cœlum & terram, quodã proposuerim vobis vitam & mortem.

Deus misericordiam exhibet. Et ego, ô peccator, Testes invoco hodie cœlum & terram, quod ex parte Dei proposuerim tibi hodie vitam & mortem. Proposui tibi Librum Vitæ, cujus omnes vocales & consonantes ad thronum Dei pro nobis clamant misericordiam; Sed etiam librum mortis (si ita convenit dicere) evaginatum justitiæ gladium proposui, Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, ipse enim est vita tua.

Eligamus, eligamus ergo charissimi, omnes qui adsumus ad spectaculum istud formidandum, Vitam, & Librum Vitæ, revertamur percutientes pectora nostra, & veniam ab-

irato Patre per vulneratum Filium petamus; Parce Domine, Iudich. 7. parce populo tuo; Peccavimus cum v. 19. patribus nostris, iniquitatem fecimus. Sed ô benignissime Deus, qui potentiam tuam parcendo maximè, & miserando demonstras, ne remiscaris Domine delicta nostra, vel Parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Ecce percutientes pectora nostra, ad te humiliati revertimur, & convertimur (non enim imaginari mihi possum, animum tam obstinatum inter omnes auditores meos inveniri, qui ad spectaculum istud, & aspectum hujus Christi Crucifixi non commotus, & verè contritus sit) & per vulnera & sanguinem filij tui pro nobis misericordiam clamantis, veniam precamur supplices. Parce Domine, parce populo tuo, timorem pariter, & amorem eum fac habere perpetuum, ut timendo justitiam, & misericordiam diligendo, tibi soli adhæreat, te solum sciat, tibi soli studeat, qui es Liber Vitæ, & vita nostra sine fine in omnes aternitates, Amen.



Q99 1

EX-